QUAESTIONUM LUCRETIANARUM

PARTICULA I. ET II.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA ORDINIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCLXVII

H. XI. L. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

FRANCISCUS SIEMERING

REGIMONTANUS.

ADVERSARII ERUNT

A. GRONAU, } SEM. PHILOL. SODALES.
E. PLEW, }

REGIMONTI PR.

TYPIS EXPRESSIT GRUBER ET LONGRIEN (G. LONGRIEN).

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

PROF. DR. K. LEHRS

PROF. DR. L. FRIEDLAENDER

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Longioris dissertationis Amplissimo Philosophorum Ordini traditae duas tantum particulas typis exprimendas curavimus, reliqua in aliud tempus reservantes. Scripsimus enim quaestionum Lucretianarum capita duo, quorum unum est de sententiis philosophicis et maxime vocabulis technicis, alterum de mythologia et religione. Haec vero dissertatiuncula et physicam Epicureae philosophiae partem et omnes aliorum philosophorum sententias vocabulaque technica tractabit, quae in Lucretii de rerum natura carmine nobis occurrunt. Itaque hoc proponimus argumentum:

Πρῶτον μὲν οὖν τὰ ὑποτεταγμένα τοῖς φθόγγοις δεῖ διειληφέναι, ὅπως ἂν τὰ δοξαζόμενα ἢ ζητούμενα ἢ ἀπορούμενα ἔχωμεν εἰς ταῦτ' ἀνάγοντες ἐπικρίνειν καὶ μὴ . . . κενοὺς φθόγγους ἔχωμεν.
Diog. Laert. X, 37.

Particula I.

De philosophia Epicurea et maxime vocabulis technicis.

A. De physicis.

De physicis Epicureorum rationibus apud Lucretium disputaturus proposui mihi primum ostendere, quam accurate Lucretius Epicuri doctrinam interpretatus sit, deinde vero sententias et vocabula technica vel comparare cum vocibus Graecis vel aliis, ubi necesse erit, supplere.

Ac primum quidem initio hujus naturalis philosophiae partis, quae totam naturae speculationem complectitur sive est de generatione et corruptione et natura ipsa (Diog. L. X, 30), ut Epicurus: ὅτι οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος (D. L. X, 38), ita Lucretius hoc ponit: „nullam rem e nilo gigni divinitus unquam“ (I, 150 ed. Lachm.) hujusque placiti causam: πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγένετ' ἄν, σπερμάτων οὐδὲν προςδεόμενον (38) sic vertit:

„nam, si de nilo fierent, ex omnibu' rebus
omne genus nasci posset, nil semine egeret“,

addit autem:

. . . . nequeunt ex omnibus omnia gigni,
quod certis in rebus inest secreta facultas“ I, 172.

Idem, ut alterum illud Epicureum reddat: οὐδὲν εἰς τὸ μὴ ὄν, dicit:

. . . . haut possunt ad nilum quaeque revorti I, 237

et alio loco:

„. . . quidque in sua corpora rursum
dissolvit natura neque ad nilum interimit res“ I,215.

His quidem universum esse efficitur, quod semper idem permanet, quia aliud nihil invenitur, in quod mutari possit. Quod universum ab Epicuro appellatur: τὸ πᾶν (39), ἡ τῶν ὅλων φύσις, ἡ τῶν ὄντων φύσις, παντὸς φύσις (D. L. X. saepe), a Lucretio: omne (I, 967, 969, 975, 1001), omne quod est (958), omne immensum (74), summa (963), totius summa (II,89,90), summa omnis (I, 620), summa tota, summa summarum (III, 817), immensi summa (II, 1095), summa summai totius omnis (VI, 679), summa rerum (I, 235, 334. II, 75), omnis rerum summa (I,503), omnis natura (420, 573), tota natura (769). Distinguuntur vero ab Epicuro duae universi partes; ait enim Lucretius: „omnis natura duabus | constitit in rebus, nam corpora sunt et inane“ (I, 420): quorum alterum, quum revera nihil sit, vocatur etiam: vacuum (393,394,439..), intactile (437), corporis expers, spatium, locus (426..), quae tangi non potest natura, locus intactus vacansque (334..), quod manet intactum neque ab ictu fungitur hilum (III,814), inane vacuum (sic! I,509. II,151.158.202.236) et Graece: τὸ μηδέν (Plut. Colot. 13), τὸ κενόν, ἡ χώρα, ὁ τόπος, ἡ ἀναφὴς φύσις (D.L.X,40.86), ἡ κενοῦ φύσις (ibid. 44), τὸ ἀναφές, τὸ ἀσώματον (67), ἄπρακτον, ἀπαθές (Plut. Colot. 13). Praeterea legimus apud Laertium (X,67): „τὸ κενὸν οὔτε ποιῆσαι οὔτε παθεῖν δύναται, ἀλλὰ κίνησιν μόνον δι' ἑαυτοῦ τοῖς σώμασι παρέχεται“ et apud Plutarchum (plac. phil. I, 20): τὸ κενὸν εἶναι ἐρημίαν σώματος.“ Atque gravitatis illud expers esse hic docet Lucretii versus (I,363):

„contra autem natura manet sine pondere inanis.“

Locum autem inane vocat Lucretius, si in eo corpora sita sunt, spatium[1]), si per illud corpora moventur (I,426..): id quod Plutarchus (pl. ph. I,20) sic explicat: τὸν δὲ τόπον τὸ ἐχόμενον ὑπὸ τοῦ σώματος, τὴν δὲ χώραν τὸ ἐκ μέρους ἐχόμενον, ὥςπερ ἐπὶ τῆς τοῦ οἴνου πιθάκνης“ et fusius accuratiusque Sextus Empiricus (adv. phys. X, §. 2): „κατὰ τὸν Ἐπίκουρον τῆς ἀναφοῦς καλουμένης φύσεως τὸ μέν τι ὀνομάζεται κενὸν, τὸ δὲ τόπος, τὸ δὲ χώρα .... ἐπείπερ ἡ αὐτὴ φύσις ἔρημος μὲν καθεστηκυῖα παντὸς σώματος κενὸν προςαγορεύεται, καταλαμβανομένη

[1]) sive „regionem loci“ (VI, 833).

δὲ ὑπὸ σώματος τόπος καλεῖται, χωρούντων δὲ δι' αὐτῆς σωμάτων χώρα γίνεται."

In hoc igitur inani alterum illud inest, cui „tactus" est (Lucr. I, 435) i. e. corpus vel potius corpora: „tangere enim et tangi nisi corpus nulla potest res" (I, 305). Ea quidem est vera materia (ὕλη), quam Epicurei Graece vocabant: τὸ σῶμα, τὸ δὲν (Democr.), τὸ ἄτακτον καὶ ἄλογον, ἀπερίληπτον, φύσιν αὐτὴν ἀναλύουσαν καὶ πράττουσαν, denique τὸ δρώμενον ἢ πάσχον. (Plut. Col. 4 sqq. 13 sqq.)[2])

Jam vero Lucretius ait: summa loci infinita est" II, 1044. et alio loco: „in cunctas undique partis

et latere ex utroque supra supterque per omne

nulla est finis" II, 1048, alio: (I, 958)

„omne quod est nulla regione viarum finitum 'st" (cf. D. L. X, 41: „ἄπειρον τὸ πᾶν, οὐ πεπερασμένον" et v. Philodem περὶ εὐσεβ. ed. Gomperz. Leipz. 1866. pag. 108, tab. 78; pag. 129, tab. 111);

„namque extremum debebat habere" (τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει D. L. X, 41),

„extremum porro nullius posse videtur
esse, nisi ultra sit quod finiat . . ."

(τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται· ὥστε οὐκ ἔχον ἄκρον πέρας οὐκ ἔχει, πέρας δὲ οὐκ ἔχον ἄπειρον ἂν εἴη καὶ οὐ πεπερασμένον ibid.) Infinita igitur est et multitudo corporum et magnitudo vacui (cf. D. L. X, 42: καὶ τῷ πλήθει τῶν σωμάτων ἄπειρόν ἐστι τὸ πᾶν καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ.) Quam rem Lucretius his probat: si solum inane pateret immoderatum

„. . dispulsa suo de coetu materiai
copia ferretur magnum per inane soluta,
sive adeo potius nunquam concreta creasset
ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset" (I, 1017)

atque „spatium summae totius omne
undique si inclusum certis consisteret oris
finitumque foret: iam copia materiai

[2]) Huc etiam illud pertinet Epicuri: σῶμά ἐστι τὸ πᾶν (D. L. X, 39), ubi vocabulum τὸ πᾶν, quamquam hoc universi et corpora et inane significare supra dictum est, tantum ea notat, quae tangunt et tanguntur. Sextus quoque (adv. phys. IX, 133) dicit: ὁ δὲ Ἐπίκουρος ἀδιαφόρως τήν τε τῶν σωμάτων καὶ τὴν τοῦ κενοῦ φύσιν ὅλον τε καὶ πᾶν προσαγορεύειν εἴωθεν.

undique ponderibus solidis confluxet ad imum" (I, 984); sed apud Diogenem Epicurus tantum: εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα, ὅπου ἐνέστη (X,42), nihil igitur de infinitorum corporum dixit quae in finito inani fieret conglutinatione. Aliud denique de eadem re ab Epicuro dictum affert Plutarchus (plac. ph. I, 5): ὅτι ἄπειρος ὁ κόσμος κατὰ τὸ πλῆθος, δῆλον ἐκ τοῦ ἄπειρα τὰ αἴτια i. e. atomos, de quibus infra erit dicendum. Quid plura? Volunt Epicurei, universum esse ἀπειρίαν (D. L. X, 45; 116), infinitionem quam vocant Romani. (Cic. fin. I, 6, 21). Quae cum ita sint „totius imum nil est in summa" (Lucr. II, 89), id quod Epicurus his docet: καὶ μὴν κατὰ τοῦ ἀπείρου ὡς μὲν ἀνωτάτω ἢ κατωτάτω οὐ δεῖ κατηγορεῖν τὸ ἄνω ἢ κάτω (D.L.X,60). Quid vero de medio universi (κέντρῳ) dicit Lucretius? Sane non constare sibi videtur fidus Epicuri interpres, qui alio loco ait:

„illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
in medium summae quod dicunt omnia niti —
— — — — — — —
nam medium nil esse potest" (I, 1052. 1070),

alio vero:

„primum terrai corpora quaeque,
propterea quod erant gravia et perplexa, coibant
in medio atque imas capiebant omnia sedes" (V, 449)

et paullo post:

„terraque ut in media mundi regione quiescat,
evanescere paulatim et decrescere pondus | convenit" (534).

Sed succurrit nobis ipsius Epicuri libri XI de natura fragmentum (Epic. fragm. etc. ed. Orelli, Lips. 1818. lib. XI, col. I.): φημὶ, ἐν μέσῳ εἶναι τὴν γῆν τοῖς τόποις [3]) ὑφὴν καὶ πρὸς τοῦ κέντρου περιέχοντος τοῦ παντός": in medio locorum positam esse terram gibbosam et ad centrum universi circumsiti. Ergo sane negat Lucretius, esse in universo punctum medium, ad quod gravia omnia tendant (I, 1052) et quod „centrum gravitatis" vulgo appelletur, sed non negat, terram in medio mundi, coelestibus corporibus circumfusam posse consistere.

[3]) cf. Columna III, o, fragm. XIII (ἐν μέσῳ κεῖσθαι τοῦ κόσμου) in „Herculanensium voluminum collectio altera, tom. VI, fasc. 1. Neapel 1866, Ankündigung vom März 1867 von Th. Gomperz.

Nunc vero ad alias res transeamus. Praeter corpora enim et inane in infinito universo

. . „nil est quod possis dicere ab omni
corpore seiunctum secretumque esse ab inani,
quod quasi tertia sit rerum natura reperta“ . . .,
„nam, quaecumque cluent aut his coniuncta duabus
rebus ea invenies aut horum eventa videbis“

(Lucr. I, 430 sq. 449 sq.). Conjunctum quidem, σύμπτωμα (D. L. X, 40) sive casus sive proprium accidens id est quod sine totius rei discidio non potest sejungi velut pondus saxi, calor ignis, tactus corporum; eventum autem, συμβεβηκός (ib.) sive accidens commune id, quod sive praesens sive absens rerum naturam nunquam debilitat velut servitium, paupertas, divitiae, bellum, concordia (v. Lucr. I, 451.)

Deinde corporum alia esse composita alia simplicia hi sibi volunt Lucretii versus:

„corpora sunt porro partim primordia rerum
partim concilio quae constant principiorum“

(I, 483 = I, 182: quae genitali concilio constant.) Alia igitur corpora sunt „concretiones“ sive „res concretae“ sive „concilium materiae“ (I, 516, al. loc.) = συγκρίσεις (D. L. X, 20 et Philod. περὶ εὐσεβ. ed. Gomp. pag. 136, tab. 121), συστάσεις, συγκρίματα (Plut. Colot. et de plac. phil. I, 12), τὸ συναφές (Epic. περὶ φύς. fragm. lib. XI, col. 13. — cf. D. L. X, 85), ἄθροισμα, τὸ συμπεφορημένον (D. L. X, 69)[4]: haec quidem corpora rara sunt (σηραγγώδη) et cum inani conjuncta, itaque dissolvi possunt. Alia contra revera sunt corpuscula (ὄγκοι D. L. X, saepe), quibus illae concretiones efficiuntur atque

„e quibus haec rerum consistit summa refecta“

(Lucr. I, 235. 502): quamobrem vocantur: genitalia corpora (I, 58. 167. II, 62), semina rerum (I, 59. 169. 176. ct.), prima (II, 313), corpora prima (I, 61. 171. 510), primordia (1, 55. 182. 210. 268 = ordia prima IV, 28, metri causa), principia rerum (I, 244), cunctarum exordia rerum (II, 333. III, 31), materies (I, 58. 171. al. l.), corpuscula materiai (II, 529 ct.), elementa (II, 393. 411. 463. III, 244) — atomi (Cic. acad. qu. I, 2, 6; de fin. I, 6, 17. 19; I, 24, 68; de fato 11, 24; nunquam apud Lu-

[4]) cf. σύνοδός ἐστι κατὰ ἀθροισμὸν τὸ σῶμα, ὥς φησιν Ἐπίκουρος, Sext. Empir. adv. math. I, 3, 21 ed. Fabricius 1842.

cretium)[5]) et Graece: αἱ ἀρχαί (αἱ ἀρχαὶ ἄτομοι τῶν σωμάτων φύσεις D. L. X, 41; τὰς ἀρχὰς ἀτόμους εἶναι Philodem etc. pag. 108, tab. 78), τὰ σπέρματα, αἱ ἄτοτοι, (αἱ ἰδέαι et αἱ οὐσίαι apud Democritum); τὰ αἴτια (Metrodorus Epicureus ap. Plut. de. plac. ph. I, 5), ἐξ ὧν αἱ συγκρίσεις πεποίηνται (D. L, X, 40; Philodem. l. c.), „στοιχεῖα" ἀεὶ ὄντα καὶ ἀπὸ τοῦ κενοῦ διοριζόμενα καὶ „ἡ μονάς" (Epic. ap. Plut. de plac. ph. I, 3; cf. Sext. Emp. adv. logicos (VIII) §, 319: Ἐπίκουρος· ἄτομα εἶναι στοιχεῖα.)

Haec corpuscula sunt „nullis praedita partibus et minima natura" (Lucr. I, 625), immortali natura praedita (I, 236. 545 ct.), aeterna (I, 245. 519. 539 ct.), solidissima materiae corpora (I, 565), solida ac sine inani (I, 487. 510. 538), individua (Cic. fin. I, 6, 17), insensilia (Lucr. II, 865. 870. 888) = ἄτομα, μεστά, ἀμερῆ, πλήρη τὴν φύσιν καὶ οὐκ ἔχοντα ὅπως ἢ ὅπη διαλυθήσεται, μόνιμα, ἄτρεπτα, ἀμετάβλητα (D. L. X, 41. 42. ct,), ἀσυμπαθῆ, ἀπαθῆ (Sext. adv. phys. (X) §. 318), ἰσχύοντα (D. L. X, 41), στερεά (54) (inde „ἡ τῶν ἀτόμων στερεότης. 44, στεῤῥότης Plut. moral. 1111, A; 1116, C.) τὸ στερέμνιον D. L. 50, τὰ στερέμνια 46. — Universe vocabulo στερέμνιον Epicurus resistentia corpora notavit, ut ab iis distingueret, quae corpora quidem esse ajebat, sed minime resistentia velut εἴδωλα et corpora deorum (v. Epic. περὶ φύσ. fragm. lib. II, col. 3). Quare Cicero (nat. deor. I, 18) Vellejum sic inducit loquentem: „Epicurus . . . doceat eam esse vim et naturam deorum . . . nec soliditate quadam nec ad numerum ut ea, quae ille propter firmitatem στερέμνια appellat."

Primordia autem, quum sint „sine inani" non intereunt (cf. τὸ μὴ τοῦ κενοῦ ἄφθαρτον. Philodem. p. 137, tab. 122), neque „mollia" possunt esse, qualia Empedocles putat; nam „mollia omnia Lucretius „nativa" et „mortali cum corpore" esse dicit (I, 754)[6]). Ceterum minimum, quod sensu percipi-

[5]) Lucretium corpuscula illa etiam glomeramina vocasse falso monet Creechius ad II, 453 (ed. Lips. 1776), Jure quidem vir ille doctissimus, quum versum:

„namque papaveris haustus item 'st facilis quasi aquarum"

cum Lambino rejiceret, „glomeramina" cum „corpusculis materiae" potuit conjungere. Sed postquam Lachmannus versum illum retinendum esse accuratissime demonstravit, facere non possumus, quin „glomeramina" conjungamus cum „papaveris haustus."

[6]) Docent Epicurei, ne „funditus usque
debeat ad nilum iam rerum summa reverti

mus (τὸ ἐλάχιστον τὸ ἐν τῇ αἰσθήσει D. L. 58), longe abest ab eo, quod re vera est minimum:

omnis enim longe nostris ab sensibus infra
primorum natura iacet" (Lcr. II, 312.)

Verumenimvero concretiones intereunt vel potius dissolvuntur, quia cum inani conjunctae sunt. Quamvis enim

„solidae res esse putentur,
hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas"

(I, 347. 330) atque in omnibus rebus, quas videmus,

intervalla, viae, connexus, pondera, plagae,
concursus, motus, ordo, positura, figurae
cum permutentur, mutari res quoque debent (II, 1020),

quae vero mutantur sunt mortalia. Itaque

. . . „finita simul generatim tempora rebus
stant, quibus possint aevi contingere florem" —

(I, 564 = quibus alescundi summum tangunt cacumen II, 1130), inde omnium rerum „minutatim vires et robur adultum

frangit et in partem peiorem liquitur aetas" (II, 1131):

ita ut res omnes

discidio redeant in corpora materiai (I, 248).

Sed „alid ex alio reficit natura nec ullam
rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena" (I, 263).

Atomis autem, e quibus omnia fiunt, triplex est qualitas: magnitudo, gravitas (= pondus Lucr. II, 218. 288), figura (= forma II, 334; filum II, 331). Ait enim Epicurus: τὰς ἀτόμους νομιστέον μηδεμίαν ποιότητα τῶν φαινομένων προςφέρεσθαι πλὴν σχήματος καὶ βάρους καὶ μεγέθους (D. L. X, 54. 44)[7], reliquas autem qualitates putat ex θέσει (μεταθέσει, positura Lucr. II, 761, ordine II, 484. 896) ac συγκρίσει (concretione) provenire atomorum (D. L. 54. 55.) Itaque nul-

de niloque renata vigescere copia rerum"

(Lucr. I, 755 sq. = εἴπερ μὴ μέλλει πάντα εἰς τὸ μὴ ὂν φθαρήσεσθαι D. L. X, 41), concretionibus dissolutis minima illa, solida aeternaque corpuscula remanere, quae nunquam aeque ac corpora ex iis composita discinda possint: οὐδὲ γάρ, inquit Epicurus, εἰς ἄπειρον ἡ τομὴ τυγχάνει (D. L. 43) et ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεόν τι καὶ ἀδιάλυτον ὑπομένειν δεῖ (54). Praeterea

. . . „nisi materies aeterna fuisset,
antehac ad nilum penitus res quaeque redissent" (Lucr. I, 541.)

[7]) Sext. Emp. adv. phys. (X) §. 240: ὁ Ἐπίκουρος· τὸ σῶμα νοεῖν κατ' ἐπισύνθεσιν μεγέθους καὶ σχημάτους καὶ ἀντιτυπίας καὶ βάρους.

lus in materiae corpusculis inest color (Lcr. II, 737), immo

... quanto in partes res quaeque minutas
distrahitur magis, hoc magis est ut cernere possis
evanescere paulatim stinguique colorem" (II, 826)

magnique refert, „semina quaeque

cum quibus et quali positura contineantur"

(II, 760 = in quali sint ordine quaeque locata 884, 896 et.) Ipse quidem Epicurus ad Theophrastum dicitur scripsisse: οὐκ εἶναι τὰ χρώματα συμφυῆ τοῖς σώμασιν, ἀλλὰ γεννᾶσθαι κατὰ ποιάς τινας τάξεις καὶ θέσεις πρὸς τὴν ὄψιν" (Plut. Col. 5.) Quin etiam censebat, semina rerum colore careant necesse esse, ne mutabilia i. e. mortalia sint. Legimus enîm apud Lucretium (II, 749):

omnis enim color omnino mutatur in omnis;
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest, —
— — — — — —
proinde colore cave contingas semina rerum,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes"

et apud Laertium (X, 54): ποιότης πᾶσα μεταβάλλει, αἱ δὲ ἄτομοι οὐδὲ μεταβάλλουσιν, ἐπειδήπερ δεῖ τι ὑπομένειν ἐν ταῖς διαλύσεσι τῶν συγκρίσεων στερεὸν καὶ ἀδιάλυτον. Neque vim calefaciendi et frigefaciendi (τὸ θερμαντικὸν καὶ τὸ ψυκτικόν = neque frigus neque calidum tepidumque vaporem Lcr. II, 858) atomi habent; sed in congerie demum aliquid apparet, quod vel frigus (τὸ ψυχρόν) ac naturam frigefaciendi (ψυχρασίας φύσιν) praestat vel calorem (τὸ θερμόν, τὴν θερμότηκα) et inflammationem (τὴν πύρωσιν) efficit. (Plut. mor. p. 1110. A. B.)[8])

Quae quum ita sint, quid tandem de triplici illa atomorum qualitate ab Epicureis statuatur accuratius anquiramus.

Primum igitur non quaevis in atomis magnitudo putanda est (πᾶν μέγεθος μὴ εἶναι περὶ αὐτὰς D. 44): veluti non ingenti magnitudine illae possunt esse, immo nullo modo sensu percipiuntur (οὐδέποτε ἄτομος ὤφθη αἰσθήσει D. X, 44 = „omnis enim longe nostris ab sensibus infra | primorum natura iacet Lcr. II, 312); ceterum magnitudo, quae sensu per-

[8]) Simili modo Lucretius dicit: „debent primordia rerum
Non adhibere suum gignundis rebus odorem,
Nec sonitum ....
Nec simili ratione saporem denique quemquam" (II, 834)

cipitur, mutari potest (παραλλαγαὶ δέ τινες μεγεθῶν εἰσιν D. 54), atomi vero sunt immutabiles.

Porro de figuris atomorum haec dicenda sunt: primum idem quod vocabulum figura apud Lucretium sibi volunt etiam vocabula „forma“ et „filum“. Gellius quoque (noct. Att. 14, 4) scripsit: „Chrysippus facit imaginem justitiae fierique solitum esse dicit a pictoribus rhetoribusque antiquioribus ad hunc ferme modum: „forma“ atque „filo“ virginali. Praeterea Plautus saepe dixit: „filum mulieris“ pro „forma et figura mulieris“ (velut merc. 4, 4, 15), et ipse Lucretius, ubi simulacrorum naturam declarat, ait:

sunt igitur iam formarum vestigia certa
. . . subtili praedita „filo“. IV, 87

et alio loco:

„forma“ quoque hinc solis debet „filumque“ videri

(V, 571), alio:

nam prius omnia, quae longe semota tuemur
aëra per multum, specie confusa videntur
quam minui „filum“ (581),

alio denique:

perparvom quiddam interdum mutare videtur
alteram utram in partem „filum“ (588).

Deinde apud Lucretium legimus, „cunctarum rerum exordia multigenis variata esse figuris“ (II, 333) et „primordia rerum finita variare figurarum ratione (479).“ Quae sententiae, quum non innumeros sed tantum multas variasque figuras esse velint, Epicuri respondent dicto: τὰς ἀτόμους ταῖς τῶν σχημάτων διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἀπείρους, ἀλλὰ μόνον ἀπεριλήπτους (D. 42 = εἶναι τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων ἀπερίληπτα, οὐκ ἄπειρα. Plut. plac. phil. I, 3).

Tum vero a Laertio (X, 42) haec Epicuri verba afferuntur: καθ' ἑκάστην σχημάτησιν ἁπλῶς ἄπειροι (αἱ ἄτομοι) i. e., si Lucretium sequimur:

. . . primordia rerum
inter se simili quae sunt perfecta figura,
infinita cluere II, 523.

Itaque non figurarum, sed in unaquaque figuratione atomorum infinitus est numerus. Denique hoc docet Lucretius:

„e levibus atque rutundis (sc. figuris)
esse ea, quae sensus iucunde tangere possunt (II, 402)

et . . . fluvido quae corpore liquida constant (452);
at contra, quae amara atque aspera cunque videntur,
haec magis hamatis inter se nexa tener'
(II, 404 = hamatis inter se perque plicatis 394), atque quae . . . durata ac spissa videntur,
haec magis hamatis inter sese esse necesse 'st
et quasi ramosis alte compacta teneri" (II, 444).
Praeterea sunt etiam, quae iam nec levia iure putantur
esse neque omnino flexis mucronibus unca,
sed magis angellis paulum prostantibu' quaeque
titillare magis sensus quam laedere possunt" (426).

Quae igitur praecipua statuuntur atomorum figurae hae sunt: leves, rutundae, hamatae, ramosae, angulatae. (ap. Cic. de nat. deor. I, 24 et acad. qu. II, 38: asperae, uncinatae, rotundae, leves).

Porro quam omnes res pondus habeant, sed ejusdem magnitudinis corpora non semper idem pondus, Lucretius:
„quod magnum'st, inquit, aeque leviusque videtur,
nimirum plus esse sibi declarat inanis,
at contra gravius plus in se corporis esse,
dedicat et multo vacui minus intus habere" (I, 365)
Denique docet poeta, nihil esse,
quod genere ex uno consistat principiorum,
nec quicquam quod non permixto semine constet" (II, 584)
nec tamen omnimodis connecti posse omnia (II, 700),
sed „omnia seminibus certis certa genetrice creata
conservare genus crescentia" (II, 707).
Ne vero sensus aliquis atomis tribuatur Lucretius
„ea, inquit, quae sentire videmus, . .
ex insensilibus tamen omnia . . principiis constant"
(II, 865. 870) et:
tum porro quid id est, animum quod percutit, ipsum
quod movet et varios sensus expromere cogit,
ex insensilibus ni credas sensile gigni?
(II, 886. cf. 893. 895. 902); alioque loco:
scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus
(II, 930 = ex non sensu sensus 932) atque addit:
sed magni referre ea primum quantula constent
sensile quae faciunt, et qua sint praedita forma,
motibus, ordinibus, posituris denique quae sint" (894.)

Quod superest in quovis finito corpore atomorum numerus minime infinitus potest esse (ἐν ὡρισμένῳ σώματι οὐκ εἶναι ἀπείρους ὄγκους D. 56); immo ne omnia infirma reddamus neve in nihilum vertamus, in corporibus finitis qui in infinitum ad id quod sit minus, fiat transitus tollendus est. (ἀνειρετεόν ἡ μετάβασις ἐν τοῖς ὡρισμένοις εἰς ἄπειρον ἐπὶ τοὔλλατον ibid.) Sin autem atomi essent infinitae, etiam totius corporis magnitudo esset infinita i. e. extremum habere a finito prorsus distinctum: ἄκρον τοῦ πεπερασμένου διαληπτόν (D. 57). Quae cum ita se habeant hi sunt corporum motus haecque mundorum constructio:

Initio quidem universum atomis expletum erat, quae, quum inane non obsisteret, aequa cum celeritate eandem semper regionem petebant. (Lucr. II, 132: prima moventur per se primordia rerum", II, 238: omnia quapropter debent per inane quietum . . . aeqne ponderibus non aequis concita ferri; Epicur. ap. Diog. X, 43: κινοῦνταί τε συνεχῶς αἱ ἄτομοι; X, 61: ἰσοταχεῖς εἰσιν; Sext. Emp. adv. phys (X) §. 145: ἰσοταχῶς κινοῦνται κατ' Ἐπίκουρον.) Qui motus pondere sive gravitate efficitur, quoniam pondus est principium motus internum; isque motus est naturalis (Cic. de fato 20, 47), quum deorsum tendat ad lineam (Lucr. II, 84 ct. = κίνησις ἡ κατὰ στάθμην Plut. de plac. ph. I, 12; I, 23; κινεῖσθαι τὰ ἄτομα κάτω, τότε μὲν κατὰ στάθμην D. X.)

Deinde „ictu forte alterius" primordia feruntur (Lucr. II, 84) et „quae parvo sunt corpora conciliatu
et quasi proxima sunt ad vires principiorum
ictibus illorum caecis impulsa cientur" (II, 133).

Hinc igitur secundum cognoscimus motum ictu sive plaga (Cic. de fato 20, 46: motus impulsionis, quam plagam ille appellat. — v. ibid. 10, 21. 22.) i. e. vi externa effectum (Lucr. I, 1025. 1042. 1055 sq. II, 84. 133. 285. 289 ct.), quem Graece appellant Epicurei: κίνησιν τὴν κατὰ πληγὴν καὶ παλμόν Plut. de plac. ph. I, 12, κατὰ θλίψιν, σύγκρουσιν D. L. X, 44, κατ ἀνακοπήν 42, κατ' ἀποπήδησιν, ἀποπαλμόν 44, ἀντίκρουσιν, ἀντιτυπίαν Sext. adv. math. I, 3, 21. Hic quidem motus causa est, cur corpuscula ad lineam decidentia alia aliis incidant itaque etiam sursum resultent. Nam dicit Lucretius

„nullam rem posse suâ vi
corpoream sursum ferri sursumque meare" (II, 185).

Tum vero, ut complexiones et copulationes et adhaesitationes (nexus Lucr. I, 240. 244, coetus 1017. 1047. II, 919, textura I, 247) atomorum inter se[9]) et oriantur et certam firmitatem (ὑπέρεισιν) variosque motus accipiant, Lucretius dicit, corpora, cum deorsum rectum per inane ferantur

. . . spatio decedere paulum

(II, 217. 219, ubi „decellere paullum" legit Lachmannus, = paulum inclinare II, 243, declinare 250). Tertius igitur est motus declinationis (exigui clinaminis Lucr. II, 292 = κίνησις ἡ κατὰ παρέγκλισιν Plut. plac. ph. I, 12; I, 23). Quae declinatio nec certo tempore nec certo loco facta „necessitatem" istam, quam et ictus et pondus inducunt, evitat et „rumpit fati foedera." Lucr. II, 282 sq. (cf. Cic. de fato 10, 22: Epicurus declinatione atomi vitari fati necessitatem putat.) Nam exclamat Lucretius: „si inde ab initio omnia necessitate determinantur:

libera per terras unde haec animantibus exstat,
unde est haec, inquam, fatis avolsa voluntas,

(Lachm. „potestas")

per quam progredimur quo ducit quemque voluntas,
declinamus item motus nec tempore certo
nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens?

(II, 256 sq.) Immo „ne mens ipsa necessum
intestinum habeat cunctis in rebus agendis

— — — — — —

id facit exiguum clinamen principiorum"

(II, 289.) Itaque quum corporibus primis libera sit voluntas:

„sua cuique voluntas
principium dat" (261.)

His omnibus causis tandem mundorum infinitio effecta est (V, 428 sq.), quam propter ordinem τοὺς κόσμους Graeci vocabant.[10]) Sed multa etiam corpuscula

. . . magnum per inane vagantur,
conciliis rerum quae sunt reiecta nec usquam
consociare etiam motus potuere recepta (II, 109)

9) Sic ap. Cic. offic. I, 6, 19 = πολυμιξίαι τῶν σπερμάτων Plat. Col. 5; περιπλοκαί D. L. X, 43. 44, περιλήψεις τῶν ἀθρόων X, 56.

10) Epicurus id quod nomine collectivo „mundi" significamus, etiam περιοχήν τινα οὐρανοῦ (continentiam quandam coeli) vocat, stellas, terram et quae videntur omnia comprehendentem (D. L. X, 88).

cujus rei exemplum Lucretius affert corpuscula in solis lumine vagantia (Sonnenstäubchen). Accedit vero quod

nec quisquam locus est, quo corpora com venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani,
nec quod inane autem est ulli subsistere debet,
quin, sua quod natura petit, concedere pergat (I,1077).

Denique aliis infiniti universi locis similes „materiae congressus" putandi sunt ac quibus haec nostra terra constat similesque terrarum orbes, astra, soles (Lucr. II, 1022. 1064), id quod ipse Epicurus ait ad Herodotum scribens (D. L. 54): κόσμοι ἄπειροί εἰσιν, οἵθ' ὅμοιοι τούτῳ, οἵτ' ἀνόμοιοι. (cf. οἱ κόσμοι ἄπειροι τὸ πλῆθος X, 45. 89; ἡ ἀπειρία τῶν κόσμων X, 45 116.)

Sed figuras varias habent mundi, alii quidem sphaerae (Cic. de nat. deor. II, 18), alii ovi, alii aliam, non tamen quam libet formam praebentes: οἱ μὲν σφαιροειδεῖς, οἱ δ' ᾠοειδεῖς καὶ ἀλλοιοσχήμονες ἄλλοι, οὐ μέντοι πᾶν σχῆμ' ἔχουσιν v. D.L.X,74.

Ceterum terram

convenit (atque) aliam naturam supter habere
ex ineunte aevo coniunctam atque uniter aptam
partibus aëriis mundi, quibus insita crevit"

(Lcr. V, 536. cf. „terra est partibus aëriis mundi caeloque revincta" 553.) Has „partes aërias" in fragm. libri XI περὶ φύσεως, columnn. 1 et 12, legimus ab Epicuro „φραγμούς et ἀέρων ὑπερείσεις et ἀέρας συμφώνους esse appellatas. Sed duplex aëris genus distinguitur: rarum et leve alterum superius, aether qui vocatur (Lucr. V, 497 etc.), crassius alterum inferius sive aër sive aëriae aurae sive aëris aurae (ib. 498. 501. 502 et.) Praeterea neque aether neque aer quidquam aliud sunt nisi subtiliores terrae partes, quae jam inde ab initio „per rara foramina terrae partibus erumpentes" in altum adscenderunt. (Lucr. V, 458 sq. cf. Seneca. quaest. nat. II, 6: aërem quidam ex distantibus corpusculis struunt.) Ex gravioribus enim deorsumque tendentibus corpusculis terra orta est, ex levioribus subtilioribusque coelum et corpora omnia coelestia. (Lucr. ibid. — Plut. de plac. I, 4: ἐκ μὲν τῶν ὑποκαθιζόντων ἐγεννήθη ἡ γῆ, ἐκ δὲ τῶν μετεωριζομένων ... ἀήρ κ. τ. λ.) Addere liceat, quod Epicurus coelestia corpora, τὰ μετέωρα, quae longissime a nobis absunt, simpliciter „φαινόμενα" vocat, contra quae circum nos sunt

sensibusque nostris subjiciuntur „θεωρούμενα" (D. L. X, 86 87); in libro autem περὶ φύσεως II, col. 7 „τὰ ἐπὶ τοῦ ὀργάνου δείγματα dicit pro „θεωρούμενα" et opponit „τοῖς κατὰ τὰ μετέωρα φαινομένοις."

Jam vero quantum temporis in hac rerum natura unaquaeque durent quaerentes primum Epicurus docet, tempus omnino nihil esse per se ipsum, sed tantum „evidentiam", per quam rerum tempus quod dicatur vel longum vel breve putetur. (ὁ χρόνος ἐνάργημά ἐστι, καθ' ὃ τὸν πολὺν ἢ ὀλίγον χρόνον ἀναφωνοῦμεν D. L. X, 72.) .

Itaque Lucretius dicit:

tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
consequitur sensus, transactum quid sit in aevo;
tum, quae res instet, quid porro deinde sequatur:
nec per se quemquam tempus sentire fatendum'st
semotum ab rerum motu placidaque quiete. (I, 460.)

atque apte Sextus Emp. adv. phys. (X), §. 219: Ἐπίκουρος τὸν χρόνον „σύμπτωμα συμπτωμάτων εἶναι λέγει (vid. supr.)

Deinde Epicurus omnia quae videmus, ut ex infinito prodierint, ita ostendit rursus celerius alia alia tardius in principia sua dissolvi („mortali consistere corpore mundum nativomque Lucr. V, 65; = ἀπὸ τοῦ ἀπείρου γέγονε καὶ πάλιν πάντα διαλύεται. D. L. X, 73): i. e. et ipsos mundos interire (φθαρτοὺς τοὺς κόσμους X, 74 = exitium caeli terraeque futurum Lucr. V, 98) et res omnes et animantes, quippe qui et ipsi ab infinito non sint discreti. (οὐδὲ τὰ ζῶα ἀποκριθέντα ἀπὸ τοῦ ἀπείρου X, 74). Sed

„nec sic interemit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis:
inde aliis aliud coniungitur" (Lucr. II, 1002),

„nec rerum summam commutare ulla potest vis (II, 303):
„augescunt aliae gentes, aliae minuuntur
inque brevi spatio mutantur saecla animantum
et quasi cursores vitai lampada tradunt" (II, 77 sq.)

Itaque cum in hoc mutationis circulo semper eadem maneat natura (cf. καὶ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἀεὶ τοιοῦτον ἦν, οἷον νῦν ἐστι καὶ τοιοῦτον ἔσται D. L. X, 39), haec ita est instructa, ut omnia omnibus paria respondeant. Haec quidem est „ἰσονομίαν" quam Epicurus appellat (Plut. mor. p. 428 E.) i. e. aequabilem tributionem (Cic. de nat. deor. I, 19, 50. —

Senec. ep. 36.) Negat vero ille, quidquam ministerio imperioque deorum fieri, quoniam „natura videtur,

libera continuo dominis privata superbis
ipsa sua per se sponte omnia dis agere expers“

(II, 1090.) Immo providentiam tollit philosophus, tantum pietatem relinquit. (τὴν πρόνοιαν ἀναιρεῖ, εὐσέβειαν ἀπολείπει Plut. Col. 8.) Nam, ait, dii sunt et certa est illorum cognitio. (θεοὶ γάρ εἰσιν· ἐναργὴς δ' ἐστὶν αὐτῶν ἡ γνῶσις D. L. X, 123), et ratione percipiuntur (λόγῳ θεωρητοί, non autem quales plerique arbitrantur, quorum quae de diis sentiunt non sensibus accepta i. e. non sunt anticipationes (προλήψεις) sed „opinationes falsae (ὑπολήψεις ψευδεῖς X, 123). — Censet enim, omnes homines sine doctrina, anticipationem quandam deorum habere, (πρόληψιν, quae est antecepta animo rei quaedam informatio. Cic. de nat. deor. I, 16, 43). Immo vero etiam ἀνθρωποειδεῖς et λεπτομερεῖς deos fingit. Plutarchus quidem (de plac. I, 7) Epicurum confirmat dixisse „ἀνθρωποειδεῖς μὲν πάντας τοὺς θεοὺς, λόγῳ δὲ πάντας τούτους θεωρητοὺς διὰ τὴν λεπτομέρειαν τῆς τῶν εἰδώλων (v. infra) φύσεως; Sextus adv. phys. (IX) §. 25: Ἐπικ. ἐκ τῶν κατὰ τοὺς ὕπνους φαντασιῶν οἴεται τοὺς ἀνθρώπους ἔννοιαν ἐσπακέναι θεοῦ· μεγάλων γὰρ εἰδώλων φησι καὶ ἀνθρωπομόρφων κατὰ τοὺς ὕπνους προςπιπτόντων ὑπέλαβον καὶ ταῖς ἀληθείαις ὑπάρχειν τινὰς τοιούτους θεοὺς ἀνθρωπομόρφους; denique ipse Epicurus ap. Laert. 139: τοὺς θεοὺς λόγῳ θεωρητοὺς, οὓς μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας οὓς δὲ κατὰ ὁμοειδίαν ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιῤῥύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων ἀνθρωποειδῶς.

Dii praeterea sunt animalia immortalia ac beata (ζῶα ἄφθαρτα καὶ μακάρια D. L. 123); beatitudini autem minime conveniunt negotia, irae, gratia, curae (οὐ γὰρ συμφωνοῦσι πραγματεῖαι καὶ ὀργαὶ καὶ χαρίτες τῇ μακαριότητι X, 77, et alio loco: τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει, ὥστε οὔτε χάρισι συνέχεται 137.) Itaque, ut Lucretius ait, . . . divom natura necessest

immortali aevo summa cum pace fruatur
semota ab nostris rebus seiunctaque longe:
nam privata dolore omni, privata periclis,
ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,
nec bene promeritis capitur neque tangitur ira.

(II, 646; cf. Seneca IV, 4 de benefic. ex sententia Epicuri: „Deus nihil agit nec magis illum beneficia quam injuria tangunt;" Cic. lib. I. in Pison.: „Dii neque propitii cuiquam esse solent neque irati"; Sext. Empir. I, 14 §. 155 Pyrrhon. hypot.: „ὁ δὲ Ἐπίκουρος λέγει μὴ ἐπιστρέψεσθαι ἡμῶν τὸ θεῖον" et §. 162: „ἀπαθὲς εἶναι τὸ θεῖον.") His addit Lucretius:

„nam pro sancta deum tranquilla pectora pace

— — — — — — — —

quis regere immensi summam, quid habere profundi
indu manu validas potis est moderanter habenas"? II, 1092.

Quae quum ita sint non mirum videtur esse, quod Epicurus impium non eum vocat, qui vulgi deos repudiat, sed qui vulgi opiniones diis applicat. (cf. ἀσεβὴς δ'οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν θεοὺς ἀναιρῶν, αλλ' ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας θεοῖς προςάπτων D. L. X, 123).

Vivunt autem isti dii locis prorsus ab his nostris sejunctis, in sedibus quibusdam, quae sunt intervalla inter mundos (medium intervallum hujus et alterius coeli Senec. de benef. IV, 19), loco vacuo et plane puro. (μεταξὺ κόσμων διαστήματα ἐν πολυκενῷ τόπῳ καὶ εἰλικρινεῖ D. L. X, 89). Intermundia (μετακόσμια) quidem haec loca vocantur (Cic. fin. II, 23, 75; n. d. I, 8, 18; div. II, 17, 40), quod vocabulum apud Lucretium non invenitur. Is enim dicit tantum:

„illud item non est, ut possis credere sedes
esse deûm sanctas in mundi partibus ullis"

(V, 146), alio loco:

„quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
dissimiles debent" (V, 153), alio: „sedes quietae,
quas neque concutiunt venti ac nubila nimbis
aspergunt neque nix acri concreta pruina
cana cadens violat, semperque innubilus aether
integit et large diffuso lumine rident" (III, 18).[11])

Sed Epicurus ad Pythoclem scripsit (D.L. X,89): μετακόσμιόν ἐστιν, ὃ λέγομεν μεταξὺ κόσμων διάστημα. Atque ille vocabuli μετακοσμίου, quantum invenire potui, singulari tantum numero videtur usus esse. Hic enim numerus in eadem paragrapho (89) bis legitur praeterea vero id vocabulum

[11]) Totum hunc locum (V, 18—24) Lucretius ex Odyssea (VI, 42—46 videtur vertisse.

omnino nusquam in ipsius Epicuri explicationibus invenitur, quamquam Plutarchus (sympos. VIII, 9, c. 2) ait: αἰτίαν δὲ καινὴν ἔργον ἐξευρεῖν, μὴ . . . τροφὰς ἀγεύστους τοῖς προτέροις ἐξ ἑτέρων τινῶν κόσμων ἢ μετακοσμίων . . . ἐπιῤῥεούσας. Nec quidquam puto ex loco illo concludi posse, qui est in Ciceronis de officiis disputatione (II, 23; cf. de nat. deor. I, 8): „individua cum dicitis et intermundia.“ Sed haec hactenus!

Transeamus ad simulacra, quae Lucretius etiam „rerum effigias[12]) sive „tenues figuras“ (IV, 42. 85. 105. 158), „tenues texturas“ (IV, 158), „imagines“ (IV, 49. 63), „quasi membranas (IV, 31. 51), „corticem“ (51) vocat, Catius quidam Epicureus apud Ciceronem (ad famil. XV, 16) „spectra“, itaque C. Cassius ad Ciceronem scribens (ibid. 19) „spectra Catiana“, ipse Cicero (de fin. I, 6, 21) „imagines“, denique Epicurus „εἴδωλα, τύπους, ἀποστάσεις', ἀποῤῥοίας (D. L. X, 46. 48. 49); Epic. περὶ φύσεως fragm. lib. II, col. 5), ὁμοίωμα (ibid. lib. XI, col. 6) i. e. ὅμοιον τύπον (ib. lib. II, col. 6), συνιζήσεις (ib. col. 3).“

Ex omnium enim corporum superficie perpetuo simulacra quasi tenuissimae membranae similem corporibus speciem formamque praebentes ultro citroque et celerrime per inane volitant. (Lucr. IV, 30 sq. 69 sq. 191 sq. VI, 921). Quae et vigilantes nos et dormientes tangunt (IV, 33 sq.), immo etiam efficiunt, ut et videamus et cogitemus. (Cic. de fin. I, 6, 21: „imagines, quae idola nominant, quorum incursione non solum videamus, sed etiam cogitemus;[13]) cf. Gellius, noct. Att. V, 16; Lucret. IV, 237:

esse in imaginibus quapropter causa videtur
cernundi neque posse sine his res ulla videri,“

nam „in oculos illae inferuntur.“[14])

[12]) Vocabulum „effigia“ pro „effigies“ apud Lucretium tantum (IV, 42. 85. 105) et apud Plautum (rud. II, 4, 7) et Afranium (ap. Nonium p. 493. 1) invenitur.

[13]) Epicurus „καὶ μὲν, inquit, καὶ τύποι ὁμοιοσχήμονες τοῖς στερεμνίοις εἰσὶν, λεπτότησιν ἀπέχοντες μακρὰν τῶν φαινομένων. τούτους δὲ τοὺς τύπους εἴδωλα προσαγορεύομεν“ (D. L. X, 46), et „ἡ γένεσις τῶν εἰδώλων ἅμα νοήματι συμβαίνει· καὶ γὰρ ῥεῦσις ἀπὸ τῆς σωμάτων ἐπιπολῆς συνεχὴς συμβαίνει, οὐκ ἐπίδηλος αἰσθήσει διὰ τὴν ἀνταπλήρωσιν, σώζουσα τὴν επὶ τοῦ στερεμνίου θέσιν καὶ τάξιν τῶν ατόμων“ (X, 48).

[14]) Simili modo etiam odoratus, auditus, meatus efficiuntur. cf. Lucr. IV, 673. 525. 881; D. L. X, 52. 53.

Id vero, quod simulacra illa „in oculos inferuntur“ Epicurus apud Diogenem (X, 49) appellat „ἐπεισιέναι τὰ εἴδωλα“ (ἐπεισιόντος τινὸς ἀπὸ τῶν ἔξωθεν τὰς μορφὰς ὁρᾶν ἡμᾶς καὶ διανοεῖσθαι), apud Plutarchum (de plac. phil. IV, 13): εἰδώλων εἴκρισιν (insinuationem), apud Ciceronem (ad Attic. ep. II, 3): „εἰδώλων ἐμπτώσεις.“ Ceterum ex Diogene (X, 46—49. 51) et ex Epicuri περὶ φύσεως fragmento (lib. II, col. 5. 6.) cognoscimus, Epicurum τύπους vocare simulacra, quatenus corporum, unde avolent, formas impressas contineant, quatenus vero formas ipsas oculis spectandas objiciant, εἴδωλα, praeterea etiam separare τὰ ὄντα εἴδωλα καὶ ἀληθῆ, quae statim nullaque mora interposita ipsos sensus nostros tangant, a τοῖς ἐν εἰκόνι λαμβανομένοις ἢ καθ' ὕπνους γινομένοις ἢ κατ' ἄλλας τινὰς ἐπιβολὰς τῆς διανοίας, quae a nobis aut per somnum aut quovis alio mentis conceptu animadvertantur, sed quae nihilominus sint vera.

Denique aliud genus est imaginum, συστάσεις quas nominat Epicurus (D. L. X, 48) quaeque, ut ait Lucretius, . .

„sponte sua gignuntur et ipsa
constituuntur in hoc coelo, qui dicitur aër“ (IV, 132.)

His quidem Lucretius vult in nubibus varias istas, quas videamus, effici figuras velut gigantum ora, magnos montes alia (ibid.)

Postremo motus ille celerrimus, quo simulacra a corporibus avulsa per aërem ferantur, vocatur φορά. (Epic. fragm. περὶ φύσ. lib. II, col. 1 et D. L. X, 46. 47.)

Jam vero quum ea, quae de sole, luna, stellis, luminis natura, tonitru, fulgure aliis permultis rebus docentur, non ita apta videantur, in quibus considerandis hoc loco commoremur,[15]) restat, ut de anima et morte quaedam dicamus.

Ac primum anima hominis est bipartita. (Lucr. I, 131;

[15]) Tantummodo annotare liceat, Epicurum dicere „τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων τηλικοῦτόν ἐστιν, ἡλίκον φαίνεται (D. L. X, 91), id quod Lucretius ita vertit:

„quidquid id est, nilo fertur majore figura
quam nostris oculis, quam cernimus esse videtur“ (V, 577); —
„Nec nimio maior solis rota nec minor ardor
esse potest, nostris quam sensibns esse videtur“ (564); —
„Forma quoque hinc solis debet filumque videri,
nil adeo ut possis plus aut minus addere vere“ (571). —

cf. Seneca, quaest. nat. I, 3; Cic. de fin. I, 6, 20; acad. IV, 26.

III, 35. 130: anima atque animi natura). Pars enim altera rationalis sive res cogitans, τὸ λογικόν, animus vocatur sive mens sive consilium et Graece θυμός, νοῦς· (= Geist, Verstand.) Hic animus, inquit Lucretius III, 94 sq., est

„mentem quam saepe vocamus,
in quo consilium vitae regimenque locatum'st;"

et alio loco ille dicit (III, 138):

„sed caput esse quasi et dominari in corpore toto
consilium, quod nos animum mentemque vocamus."

In quorum altero loco vocabulum „consilium" idem est quod apud nos: Rath, Plan, kluge Berechnung, altero idem quod: „Denkkraft, Verstand" i. e. animus sive mens; et quod in altero loco: „regimen" id in altero versus: „sed caput esse quasi et dominari in corpore toto."

Media autem pectoris regio, ubi is animus sedem habet (cf. τὸ μὲν λογικὸν ἐν τῷ θώρακι καθιδρύμενον. Plut. plac. ph. IV, 4 et 5), ubique mentus et gaudium (τὸ μὲν λογικὸν ἐν τῷ θώρακι ὡς δῆλον ἔκ τε τῶν φόβων καὶ τῆς χαρᾶς D. L. X, 66) ab Epicuro appellantur οἱ πεπονθότες τόποι. Dicit enim apud Plutarchum (plac. ph. IV, 23): τὰ πάθη καὶ τὰς αἰσθήσεις ἐν τοῖς πεπονθόσι τόποις εἶναι. Atque ait Lucretius (III, 140 sq.):

„idque (sc. consilium) situm media regione pectoris haeret.
hic exultat enim pavor ac metus; haec loca circum
laetitiae mulcent, hic ergo mens animus qu'est."

Altero vero pars animae

. . . „per totum dissita corpus
paret et ad numen mentis momenque movetur:
idpue sibi solum per se sapit, id sibi gaudet,
cum neque res animam neque corpus commovet una."

(III, 143.) Quae anima, ἡ ψυχή, animo subjecta rationisque est expers (τὸ ἄλογον); ait enim Epicurus apud Laertium (66): „τὸ ἄλογον ἐν τῷ λοιπῷ σώματι παρεσπαρμένον" et apud Plutarchum (plac. ph. IV, 4): „τὸ ἄλογον καθ' ὅλην τὴν σύγκρισιν τοῦ σώματος διεσπαρμένον;" sed minime ea sensus est expers (Lucr. III, 635: „toto corpore inesse sensum vitalem), si quidem ea pars adest, in qua acumen sive vigor sensus persistit. (: τὸ ὀξὺ κατὰ τὴν αἴσθησιν. Plut. ib.)

Praeterea haec anima ita „tenetur ab omni corpore" (Lucr. III, 324), ut corpus „quasi illius vas" esse videatur (554). Idemque apud Laertium Epicurus hoc modo

significat: ἡ ψυχὴ ἀπὸ τοῦ λοιποῦ ἀθροίσματος στεγάζεται. Posidonius vero apud Achillem Tatium dicit, Epicureos putare, τὰς ψυχὰς ὑπὸ σωμάτων συνέχεσθαι, Sextus Emp. (adv. phys. IX, §. 81) διακρατεῖσθαι.

Hic quoque locus est, ut de utroque animi et animae vocabulo pauca dicamus. De utroque enim conjuncto disputantibus nobis optimum esse vocabulo „animae" uti sic docet Lucretius (III, 421 sq.):

tu fac utrumque uni subiungas nomen eorum
atque animam verbi causa cum dicere pergam,
mortalem esse docens, animum quoque dicere credas,
qua tenus est unum inter se coniunctaque res est."[16])

Verum tamen illud praeceptum postea ipse poeta saepissime neglexit! veluti perpaullo post in versibus 448 et 450 legitur vocabulum „animus," quamquam alterum „anima" versus naturae minime repugnat; contra in extremo versu 455 vocabulum „anima" (. . . ani|maï) sane metri caussa adhibendum fuit eandemque ob causam in extremo 446 pro utroque vocabulum „mens" (. . . pari|terque se|nescere| mentem.) Haec hactenus!

Etiam hoc dicendum est, animum atque animam

. . . . „coniuncta teneri
inter se atque unam naturam conficere ex se"

(III, 136): itaque quum animus aliqua vi percutitur, câdem simul anima afficitur et haec

. . . . „cum animi vi
percussa est, exim corpus propellit et icit" (III, 160).

Porro quum ea quae tangunt et tanguntur corpora sint:

„haec eadem ratio naturam animi atque animai
corpoream docet esse." (161);

sed ea utriusque natura „persubtilibus tantum perquamque minutis" (180), immo etiam „perquam rutundis" (186) et „levibus" (205) seminibus facta est (cf. ὅτι ἡ ψυχὴ σῶμά ἐστι λεπτομερές D. L. X, 63, et: ἐξ ἀτόμων λειοτάτων καὶ στρογγυλωτάτων. 66); eaque corpuscula simillima sunt spiritui (προςεμφερέστατον πνεύματι θερμοῦ τινα κρᾶσιν ἔχοντι. 63), vel non multum ab iis differunt, quae ignis sunt. (ἐξ ἀτόμων οὐ πολλῷ διαφε-

[16]) Eodem modo Graecum vocabulum „ψυχή" utramque partem significat.

ρουσῶν τοῦ πυρός X, 66). — Haec quidem res non solum eo probatur, quod mente celerius nihil invenitur, sed etiam

„quod, simulatque hominem leti secura quies est
indepta atque animi natura animaeque recessit,
nil ibi libatum de toto corpore cernas
ad speciem, nil ad pondus (III, 211).

Hominem enim moribundum tenuis quaedam aura deserit mixta cum calore, isque calor, ut est in ejus natura, trahit aërem (III, 232 sq.). Ita fit, ut Epicurus imprimis triplicem animae ponat naturam, cui etiam quartum aliquid adjungit. Nam vult, animam constare in aura sive spiritu sive vento vitali (III, 128 = ἐκ πνεύματος sive πνευματικοῦ τινος), calore quodam (= ἔκ τινος θερμοῦ), aëre (= ἀερώδους), quarta denique nominari quae non potest qualitate (= ἔκ τινος ἀκατονομαστοῦ. Plut. adv. Colot. 24. — Lucr. III, 232 sq.) — Hac quarta quidem homo judicat, meminit, amat, odit, intellegit, ratiocinatur (ᾧ κρίνει καὶ μνημονεύει καὶ φιλεῖ καὶ μισεῖ καὶ ὅλως τὸ φρόνιμον καὶ λογιστικόν Plut. Colot. 24), eademque cum reliquis angustissime conjuncta principium est maximum sive anima animae totius (Lucr. III, 275).

Haec quoque prima in nobis cietur, inde calor motus accipit et aura, inde aër, inde denique omnia moventur. Addit quidem Stobaeus (v. Creech. ad Lucr. III, 289), hanc esse Epicuri sententiam: „τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, ὁ δὲ ἀὴρ ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δὲ ἀκατονομαστὸν τὴν ἐν ἡμῖν ἐμποιεῖ αἴσθησιν“ et Plutarchus (plac. ph. IV, 3) tradit, Epicurum putasse, animam esse „κρᾶμα ἐκ τεσσάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου ἀκατονομάστου, ὃ ἦν αὐτῷ αἰσθητικόν.

Nunc priusquam ad mortem ipsam transimus, pauca etiam de anima nascente et moriente commemorabimus.

Primum enim Lucretius ait:

. . . „gigni pariter cum corpore et una
crescere sentimus pariterque senescere mentem“

(III, 445), itaque nullo modo „extrinsecus esse insinuatam“ (III, 671. 689. 698. 722. 738 ct.). Fac vero hoc tamen ita fieri, ut moribundi hominis anima in cujusvis alius nascentis corpus irrepat: ubi est tandem „ante actarum rerum

retinentia"[17]) i. e. recordatio, memoria? (Lucr. III, 674). Deinde, ut accuratius animae explicet mortalitatem, poeta dicit:

„ergo dissolvi quoque convenit omnem materiai
naturam, ceu fumus, in altas aëris aures;
quandoquidem gigni pariter pariterque videmus
crescere et, ut docui, simul aevo fessa fatisci —"

(III, 455 cf. 417: „nativos animantibus et mortalis esse animos animasque levis), et paullo ante:

„et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
crede animam quoque diffundi multoque perire
ocius et citius dissolvi in corpora prima,
cum semel ex hominis membris ablata recessit."

(III, 436); tum vero: — „copia tanta animai
„dilaniata foras dispargitur, interit ergo"

(III, 535 sq. cf. III, 500: „divisa seorsum disiectatur), denique: anima non modo ita interit, ut „foras manet ... per artus perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt atque foramina" (Lcr. III, 585 sq.), sed ita, ut „in certa sua regione eodem modo deficiat, quo in sua quisque parte sensus dissolvitur" (610 sq.). De eadem re Sextus Emp. (adv. phys. IX, §. 72) hoc tantum dicit: αἱ ψυχαί, ὡς ἔλεγεν ὁ Ἐπίκουρος, ἀπολυθεῖσαι τῶν σωμάτων καπνοῦ δίκην σκίδνανται.

Poros autem seu meatus, ut ita dicam, corporis, per quos moribunda illa anima avolat, Lucretius cum „foramina, intervalla, vias" appellat (II, 386, III, 588, IV, 601. 894, VI, 1030, IV, 650: „intervalla viaeque, foramina quae perhibemus"), tum maxime „caulas" (II, 951, III, 255. 702. 707. IV, 620, 660. VI, 492. 839). Per quas caulas ubi anima dimissa est corpus sentire desinit:

„at dimissâ animâ corpus caret undique sensu:
perdit enim quod non proprium fuit eius in aevo,
nullaque praeterea perdit, quom expellitur aevo."

(III, 356 =): ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς οὐκ ἔχει (τὸ σῶμα) τὴν αἴσθησιν D. L. X, 64.

Quae quum ita sint

„nil igitur mors est, ad nos neque pertinet hilum,
quandoquidem natura animi mortalis habetur"

[17]) Annotamus, vocabulum „retinentia" omnino Lucretianum esse, (III, 675 et III, 851 cf. Lachmannum de hoc loco disserentem).

(Luc. III, 830 sq.): ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς D. L. X, 124; bonum enim omne ac malum, ut dicit Epicurus, in sensu est, sensus autem privatio mors est et quod dissolutum sensu caret nihil ad nos. (πᾶν ἀγαθὸν καὶ κακὸν ἐν αἰσθήσει, στέρησις δ' ἐστὶν αἰσθήσεως ὁ θάνατος. — τὸ γὰρ διαλυθὲν ἀναισθητεῖ, τὸ δὲ ἀναισθητοῦν οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς. D. L. X, 124 et Sext. „Pyrrhon. hypotyp. III. 24, §. 229). Accedit quod „ὅταν μὲν ὁ θάνατος παρῇ, τόθ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμὲν, ὅταν δὲ ἡμεῖς ὦμεν, ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν: itaque jucunda nobis efficitur vitae mortalitas (ἀπολαυστὸν ποιεῖται τὸ τῆς ζωῆς θνητόν) immortalitatisque desiderium (ὁ τῆς ἀθανασίας πόθος) aufertur. D. L. X, 124.

Particula II.

De aliorum philosophorum quae apud Lucretium Epicureum occurunt sententiis vocabulisque technicis.

Postquam capite priore Epicureae philosophiae maxime quae apud Lucretium inveniuntur sententias vocabulaque technica pertractavimus, nunc placet eos Lucretianos locos scrutari, quibus aliorum philosophorum placita vocesque technicae vel ipsa afferuntur vel tamen circumspiciuntur.

Nominatim quidem praeter Epicurum Lucretius Heraclitum tantum (I, 638), Empedoclem (716), Anaxagoram (830. 876), Democritum (III, 371. 1039. V, 622), Ennium poetam (I, 117. 121) appellat; sed saepius, etiamsi nomina desiderantur, tamen re ipsa videbimus philosophos quosdam denotari.

In hac autem quaestione, quum neque facile neque magno cum emolumento ordo rerum divisioque philosophica possit servari, optimum videtur, in locos illos Lucretianos ita inquirere, ut primum de ipsa rerum natura, deinde de anima et immortalitate, tum de sensibus, denique de sciendi ratione loquamur. Ergo ita nascatur exordium.

Lucretius quum Epicurea ratione ita in magistri verba juraret, ut nullo modo nisi secundum Epicuri dogmata bene beateque vive posse censeret [18]), quotiescunque occasio data est in alios philosophos tanquam prorsus falsa docentes

[18]) cf. I, 50 sqq. 62—102. III, 1—30. V, 1—56. VI, 1—35.

graviter solitus est invehi. Itaque jam initio ejus carminis, ubi primordiorum sive atomorum natura explanatur, haec legimus:

(I, 635): „Qua propter qui materiem rerum esse putarunt
Ignem atque ex igni summam consistere solo,
Magno opere a vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux proelia primus,
Clarus ob obscuram linguam magis inter inanis
Quamde gravis inter Graios, qui vera requirunt ct."

et paullo post:

(I, 660): „Dicere porro ignem res omnis esse, neque ullam
rem veram in numero rerum constare nisi ignem,
quod facit hic idem, perdelirum esse videtur." — ct.

Reliqua non minus acerbe de Heraclito dicta (v. I, 700 sqq.) transeamus, ut sententiam ejus a Lucretio allatam contemplemur. Dixit quidem philosophus: [κόσμος] ἦν ἀεὶ καὶ ἔσται, πῦρ ἀείζωον, ἁπτόμενον μέτρα καὶ ἀποσβεννύμενον μέτρα (fragm. 27 Mullach), sive: πῦρ εἶναι στοιχεῖον καὶ πυρὸς ἀμοιβὴν τὰ πάντα ἀραιώσει καὶ πυκνώσει γινόμενα. (Diog. Laert. IX, 8). Quam ἀραίωσιν et πύκνωσιν Lucretius his tantum verbis circumscripsit:

(I, 647): [nil prodesset enim] calidum denserier ignem (= ignis coetus, 666) nec rare fieri[19]). — Deinde si vera tradit Plutarchus quum dicit: Ὡς Ἡράκλειτος ἔλεγε, πυρὸς θάνατος ἀέρι γένεσις καὶ ἀέρος θάνατος ὕδατι γένεσις κ. τ. λ. (frgm. 31. M.), recte etiam Lucretius de Heracliteis loquitur:

(I, 782): Quin etiam repetunt a coelo atque ignibus ejus
et primum faciunt ignem se vertere in auras
aëris, hinc imbrem gigni terramque creari
ex imbri, retroque a terra cuncta reverti
umorem primum, post aëra, deinde calorem,
nec cessare haec inter se mutare, meare
a caelo ad terram, de terra ad sidera mundi."

Sed est in fragmento quodam alio (28. M.): „πυρὸς τροπαὶ πρῶτον θάλασσα, θαλάσσης δὲ τὸ μὲν ἥμισυ γῆ τὸ δὲ ἥμισυ πρηστήρ" — in alio (59. M.): ψυχῆς θάνατος ὕδωρ γενέσθαι, ὕδατι δὲ θάνατος γῆν γενέσθαι· ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται, ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή) et accuratius apud Diogenem Laertium (IX, 9): πυκνού-

[19]) Inde I, 654: densi rarique ignes.

[20]) ψυχή, anima pro igni posita est. v. Zeller, Philos. d. Griech. 1856, I. pg. 460.

μενον γὰρ τὸ πῦρ ἐξυγραίνεσθαι συνιστάμενόν τι γίνεσθαι ὕδωρ, πηγνύμενον δὲ τὸ ὕδωρ εἰς γῆν τρέπεσθαι. καὶ ταύτην ὁδὸν ἐπὶ τὸ κάτω εἶναι. πάλιν τε αὐτὴν τὴν γῆν χεῖσθαι, ἐξ ἧς τὸ ὕδωρ γίνεσθαι, ἐκ δὲ τούτου τὰ λοιπὰ, σχεδὸν πάντα ἐπὶ τὴν ἀναθυμίασιν ἀνάγων τὴν ἀπὸ τῆς θαλάττης. αὕτη δέ ἐστιν ἡ ἐπὶ τὸ ἄνω ὁδός. — Itaque quum non quattuor sed tria ab Heraclito statuantur rerum principia — (eaque — ut Zelleri viri clarissimi verbis utamur: Das Feuer, das Meer und die Erde, das Warme, das Feuchte und das Feste; unter dem Feuer ist nämlich dem Obigen zufolge die trockne und die warme Luft miteinbegriffen, und in dem Meer sind neben dem tropfbar Flüssigen auch die feuchten Dünste befasst, zur Erde ohnedem werden alle festen Körper überhaupt auch noch von der spätern Physik gerechnet u. s. w. I. p. 470). — apparet, neque Plutarchum neque Lucretium Graeci illius philosophi sententiam satis recte interpretari[21]). Tum vero Lucretius ait:

(I, 655): Id quoque, si faciant admixtum rebus inane,
denseri poterunt ignes rarique relinqui;
sed quia multa sibi cernunt contraria adesse
et fugitant in rebus inane relinquere purum,
ardua dum metuunt, amittunt vera viai — etc.

Ergo Heraclitus, quoniam non est, quod fidem Lucretio abrogemus, cum in igne tum in rebus omnibus inde exortis inane, quod dicitur, repudiat atque removet: id quod neque alius quisquam neque Zellerus animadvertit.

Ceterum quod ad Lucretianum illud attinet „clarus ob obscuram linguam“ (I, 639), notum est, Heraclito, quum minus perspicue scripsisse videretur, primum a Pseudoaristotele (de mundo c. 5. 396, b, 20), deinde a permultis posterioris temporis auctoribus veluti a Strabone (lib. XIV, p. 642) et Seneca (epist. 12) cognomen inditum esse τῷ σκοτεινῷ. Immo vero sunt, qui eum de industria ita scripsisse putarint, ne ab omnibus intellegeretur. In qua opinione fuerunt Cicero (nat. deor. I, 26, 74. III, 14, 35; de divin. II, 64, 133; fin. II, 5, 15), Diogenes Laertius (IX, 6), Clemens Alexandrinus (Strom. V, 571, C.), auctor allegoriarum Homericarum (Heraclitus, alleg. Hom. c. 24 p. 51 ed. Mehler), alii[22]).

[21]) De huius rei causa v. Zellerum p. 471; is autem non Lucretii versus supra citatos sed tantum Graecorum auctorum interpretationes commemorat.

[22]) Et fortasse Lucretius, paulo acerbius ut videri possit, de

Heracliti Ephesii sententiis refutatis Lucretius etiam alios quosdam, qui unum rerum principium statuerunt, philosophos aggrediens ait:

(I, 707): „Et qui principium gignundis aëra rebus
constituere, aut umorem quicunque putarunt
fingere res ipsum per se, terramve creare
omnia et in rerum naturas vertier omnis,
magno opere a vero longe derrasse videntur“.

Primum igitur Anaximenem Milesium a poeta denotari quis est qui non videat? Ille quidem docuit: ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα: ἐκ γὰρ τούτου τὰ πάντα γίνεσθαι, καὶ εἰς αὐτὸν πάλιν ἀναλύεσθαι Plut. plac. phil. I, 3), vel: ἀρχὴν ἀέρα τὸν ἄπειρον (Diog. Laert. II, 3), vel: τὴν τῶν ὅλων ἀρχὴν τὴν ἀέρα . . , καὶ τοῦτον εἶναι τῷ μὲν γένει ἄπειρον, ταῖς δὲ περὶ αὐτὸν ποιότησιν ὡρισμένον“ (Plut. ap. Euseb. praep. evang. I, 8): id quod Cicero (acad. qu. IV, 37, 118) sic vertit: „infinitum aerem [sc. esse a quo omnia gignerentur], sed ea, quae ex eo orirentur definita. Idem vero quum alio loco (nat. deor. I, 10, 26) diceret: „Anaximenes aëra deum statuit etc.“ — in non minorem indit errorem, quam posteri quidam auctores[23]). Nam omnes rerum causas Anaximenes aeri tribuit, non vero aerem a diis factum sed ipsos illos ex aere ortos credidit[24]).

Deinde Lucretius quum eos reprehendit, qui umorem i. e. aquam rerum principium esse voluerunt, imprimis Thaletem Milesium videtur significare. E multis enim illis antiqui temporis testibus hoc loco nobis satis est Aristotelem proferre, qui dixit: Θαλῆς μὲν ὁ τῆς τοιαύτης ἀρχηγὸς φιλοσοφίας ὕδωρ εἶναι (στοιχεῖον καὶ ἀρχὴν τῶν ὄντων). metaph. I, 983. b, 20. — Injuriâ autem et in maximo errore versatus Cicero (nat. deor. I, 10, 25): Thales Milesius, inquit, aquam dixit esse initium rerum, deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta fingeret. Nam idem Aristoteles (metaph. I, 3. 984, a, 27. b, 15): praeter Anaxagoram et Hermotimum (?) quemquam antiquissimorum philosophorum mentem divinam, quae

gloria ex obscuritate apud inanes homines parta loquens, idem sensit.

23) v. Zeller. p. 180 annot. 3

24) Augustinus — qui antiqui philosophi sententiam quam accuratissime expressisse videtur — de Civit. dei VIII, 2. — Origenes, philos. I, 12. — v. Krische „Forschungen“ I, 55 f.

omnia fingeret, statuisse, apertissime negat[25]). Neque duplex illud rerum principium (sc. aqua et mens) hylozoismo, qui nunc vocatur, antiquissimo ulla ratione possit conjungi[26]). Jam vero ad tertiam a Lucretio commemoratam sententiam transeamus.

Omisso enim Anaximandro Milesio, tertio illo e Jonicorum numero philosopho, qui omnium rerum principium materiam esse putavit qualitate indefinitam et copia infinitam i. e. τὸ ἄπειρον[27]) (infinitatem naturae Cic. acad. qu. IV, 37, 118), Lucretius in eos invehitur, qui e terra omnia exorta esse et in terram rursus mutari existimaverunt. In qua re de Pherecyde Syrio poetam cogitasse nobis quidem satis perspicuum est. — Nam hunc primum docuisse „γῆν τὴν πάντων εἶναι ἀρχήν" testis est Sextus Empiricus. (Pyrrhon. hyp. 3, 4. p. 30). Idemque alio loco (mathem. 9, 5, p. 360) disertissime hactenus dicit eum a Thalete recessisse, ut ipse quidem terram, Thales vero aquam putaret rerum omnium esse principium. Haec cum ita sint etiam de dicto quodam: ἐκ γῆς γὰρ πάντα, καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ (Mullach. p. 102) quod ab eodem Sexto servatum est (math. 10, p. 313), aliquid liceat nobis suspicari. Quum enim Sextus (l. c.) dicat: „Ξενοφάνης δὲ κατ' ἐνίους" ἐκ γῆς κ. τ. λ. atque hac ratione non se ipsum testem esse velit, sed alios testes adhibeat, insuper autem illud praeceptum cum Xenophanea doctrina nequeat conciliari (vide infra), jam Meinersius[28]) et Heerenius[29]) praeceptum illud Xenophani suppositum esse viderunt. Quo facilius fortasse fieri potest, ut non cum Sexto Empirico dicendum sit: Ξενοφάνης sed Φερεκύδης . . . . ἐκ γῆς γὰρ πάντα κ. τ. λ., praesertim quum ipse Sextus, Pherecydem hoc praeceptum dedisse, aliis locis satis superque confirmet. Sed haec nostra est conjectura, in qua pluribus verbis nunc non commorabimur. — Ceterum quod Pherecydes praeter „Terram" (Χθόνα) etiam Ζῆνα et Χρόνον rerum initio fuisse docuit[30]), hoc loco nihil ad rem.

Sequentibus autem versibus:

[25]) v. Zeller. p. 151.
[26]) Ueberweg. Grundriss d. Gesch. d. Phil. I, 34. init.
[27]) Zeller p. 77 sqq. — Brandis Gesch. d. Entwickl. etc. I, 51 ff.
[28]) Hist. doctrinae de vero deo p. 327.
[29]) ad Stobaei eclog. phys. I, p. 294.
[30]) Zeller p. 65.

(I, 712): Adde etiam qui conduplicant primordia rerum
Aëra jungentes igni, terramque liquori" —

etiam duplex aliquod rerum initium repudians Lucretius contentus est, duas tantum aliorum philosophorum sententias attulisse. Quarum una est Oenopidis Chii[31] (?), altera Xenophanis Colophonii. Sed quum nihil ahhuc, quo satis confirmetur Oenopidem aërem ignemque rerum principia habuisse, potuerimus invenire, tantum de Xenophane loquemur. Ex ipsius enim carmine non solum versus proditur: πάντες γὰρ γαίης τε καὶ ὕδατος ἐκγενόμεσθα (fragm. 9. Mull.) sed etiam versus:

„γῆ καὶ ὕδωρ πάνθ' ὅσσα γίνονται ἠδὲ φύονται"

(fragm. 10 M.). Atque quum Sextus Empiricus Pyrrhon. hypot. II, 30 fusius dicat, Xenophanem terram et aquam rerum principia constituisse, minime dubium est, quin sententia illa: ἐκ γῆς πάντα καὶ εἰς γῆν πάντα τελευτᾷ (Sext. math. X, 313), de qua supra diximus, huic quidem philosopho supposita sit. Adde quod Aristoteles, ubi de principiis rerum disputat (metaph. I, 8. 989, a. 5.) quae a prioribus philosophis posita sint, non solum praetermittit Xenophanem, sed dicit, neminem eorum, qui unum tantum principium probaverint, terram omnium rerum initium putasse. Nihilominus sententiam illam licet Phereeydi Syrio attribuere, de quo supra locuti sumus. — Nunc vero ad Lucretium revertamur.

Is quum duplex quoque rerum initium repudians tantum duas ab aliis philosophis repetat sententias, et eos praetermittit, qui ignem terrae et eos qui ignem aquae junxerunt. Ignem vero et terram Parmenides rerum principia esse voluit. Nam dicit Aristoteles (phys. I, 5 init.): καὶ γὰρ Παρμενίδης θερμὸν καὶ ψυχρὸν ἀρχὰς ποιεῖ, ταῦτα δὲ προςαγορεύει πῦρ καὶ γῆν et: δύο τὰς αἰτίας καὶ δύο τὰς ἀρχὰς πάλιν τίθησι (Παρμ.), θερμὸν καὶ ψυχρόν, οἷον πῦρ καὶ γῆν λέγων. (metaph. I, 5, 986. b, 31)[32]); Simplicius (ad Arist. phys. 7,6,0): τῶν μὲν γεννητῶν ἀρχὰς καὶ αὐτὸς στοιχειώδεις μὲν τὴν πρώτην ἀντίθεσιν ἔθετο, ἣν φῶς καλεῖ καὶ σκότος, πῦρ καὶ γῆν, ἢ πυκνὸν καὶ ἀραιόν, et: Παρμ. ἐν τοῖς πρὸς δόξαν μῦρ καὶ γῆν, μᾶλλον δὲ φῶς καὶ σκότος (ἀρχὰς

[31]) Ad hunc quidem Creechius illam sententiam referre voluit; sed testem neminem produxit.

[32]) cf. etiam metaph. I, 3, 984; IV, 2, 1004. — de gen. et corr. I, 3, 318. b, 6 etc.

τίθησιν). De reliquis auctoribus satis est ad Zellerum (pag. 406 sqq.) revocare.

Deinde ignem et aquam Hippo Rheginus et Archelaus Atheniensis rerum principia esse docuerunt. Sane Aristoteles confirmat, Hipponem cum Thalete rerum omnium initium aquam statuisse[33]), et Alexander Aphrodisiensis in ejus metaph. I, 3 (pag. 21 ed. Bonitz) dicit: Ἵππωνα ἱστοροῦσιν ἀρχὴν ἁπλῶς τὸ ὑγρὸν ἀδιορίστως ὑποθέσθαι, οὐ διασαφήσαντα πότερον ὕδωρ ὡς Θαλῆς, ἢ ἀήρ, ὡς Ἀναξιμένης καὶ Διογένης κ. τ. λ. Sed quum Hippo ex aqua ignem, tum vero ex aqua igni absumta mundum exortum esse censeret[34]), fuerunt etiam, qui ipsum ignem cum aqua conjunctum ab eo rerum principium habitum esse putarent. Inter quos Origenes est, qui: Ἵππων, inquit, ὁ Ῥηγῖνος ἀρχὰς ἔφη ψυχρὸν τὸ ὕδωρ καὶ θερμὸν τὸ πῦρ (l. infra c.), Sextus Empiricus (Pyrrhon. hyp. III, 30, p. 130 et adv. mathem. IX, 361, p. 620: Ἵππων δὲ ὁ Ῥηγῖνος πῦρ καὶ ὕδωρ), Galenus (hist. phil. c. 5. t. XIX, p. 243). — Sed ad Archelaum transeamus. Is quidem Anaxagorae discipulus e particulis inter se dissimilibus, quibus singula quaeque fierent, ita omnia constare putavit ut inesse etiam mentem diceret, quae particulis illis conjungendis et dissipandis efficeret omnia[35]). His autem corpusculis pro aere positis[36]), Archelaus, ad Anaximenis doctrinam revertens, ex ipso aëre vel densato vel tenuato dixit omnia oriri[37]). Denique quum doceret, ex aere vel densato vel tenuato primum ignem et aquam, deinde ex his alia omnia nasci[37]), factum est, ut quidam omnino ignem et aquam ab eo rerum principia con-

[33]) Aristot. metaph. I, 3, p. 384, a. 2. ed. Becker. — de anima I, 2. p. 405. Beck. — Idemque dicit Simplicius ad phys. f. 6, a. m.: ὥσπερ Θαλῆς . . . καὶ Ἵππων, ὃς δοκεῖ καὶ ἄθεος γεγονέναι, ὕδωρ ἔλεγον τὴν ἀρχήν. — ibid. p. 32, a. — ad Aristot. de coelo p. 148, a.

[34]) Origenes philosoph. 16: γεννώμενιν δὲ τὸ πῦρ ὑπὸ ὕδατος κατανικῆσαι τὴν τοῦ γεννήσαντος δύναμιν, συστῆσαι τὲ τὸν κόσμον.

[35]) Simplic. ad. phys. 7, a.: τὰς ἀρχὰς δὲ τὰς αὐτὰς δίδωσιν ἅσπερ Ἀναξαγόρας· οὗτοι μὲν οὖν ἀπείρους τῷ πλήθει καὶ ἀνομογενεῖς τὰς ἀρχὰς λέγουσι τὰς ὁμοιομερείας τιθέντες ἀρχάς. — Augustin. civit. dei VIII, 2.

[36]) Zeller p. 715.

[37]) Sext. Emp. math. IX, 360: Ἀρχ. . . . . ἀέρα [ἔλεξε πάντων εἶναι ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον]. — Plut. plac. phil. I, 3, 12: Ἀρχ. . . . . ἀέρα ἄπειρον καὶ τὴν περὶ αὐτὸν πυκνότητα καὶ μάνωσιν. τούτων δὲ τὸ μὲν εἶναι πῦρ τὸ δὲ ὕδωρ.

stituta esse dicerent. Hermias quidem irris. gentilium philosoph. c. 5.: 'Αρχέλαος, inquit, ἀποφαινόμενος τῶν ὅλων ἀρχὰς θερμὸν καὶ ψυχρόν. — Diogenes Laertius II, 16: 'Αρχ. . . . ἔλεγε . . δύο αἰτίας εἶναι γενέσεως, θερμὸν καὶ ὑγρόν. —

Jam vero ad Empedoclem transeamus, quem Lucretius, quamquam summis laudibus effert poetam (I, 726 sqq.), tamen philosophum malum fuisse contendit. Nam dicit:

„principiis in tamen in rerum fecere ruinas
et graviter magni magno cecidere ibi casu" (I, 740) . . .

(I, 714): Et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur
ex igni terra atque anima procrescere et imbri.
quorum Acragantinus cum primis Empedocles est,
insula quem triquetris terrarum gessit in oris —
e. q. s. . . . .

Hanc quidem Empedoclis sententiam etiam apud Plutarchum legimus, qui de plac. phil. I, 3 sic scribit: 'Εμπ. . . . τέτταρα εἶναι στοιχεῖα πῦρ, ὕδωρ, γῆν. δύο δ' ἀρχικὰς δυνάμεις φιλίαν τε καὶ νεῖκος· ὧν ἡ μέν ἐστιν ἑνωτική, τὸ δὲ διαιρετικόν. Ipse autem Empedocles:

τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε,
πῦρ καὶ ὕδωρ καὶ γαῖαν ἰδ' αἰθέρος ἄπλετον ὕψος·
ἐκ γὰρ τῶν ὅσα τ' ἦν ὅσα τ' ἔσσεται ὅσσα τ' ἔασιν.

(carm. fragm. v. 59 Mull.). Atque haec principia, quae ab ipso philosopho non στοιχεῖα sed ῥιζώματα vocantur, saepe variatis vel figuratis nominibus sic appellantur: primum πῦρ, ἠλέκτωρ, "Ηλιος, "Ηφαιστος, Ζεὺς ἀργής, Τιτάν[38]) alterum: ὕδωρ, ὄμβρος, πόντος, θάλασσα, Νῆστις, tertium: γῆ (γαῖα), χθών, 'Αϊδωνεύς, quartum: αἰθήρ, οὐρανός, "Ηρη φερέσβιος. (fragm. v. 235, 79, 321, 159 et.) — Quodsi Lucretius paullo postquam de elementis illis Empedoclis locutus est, addit:

(I, 782): Quin etiam repetunt a coelo atque ignibus ejus
et primum faciunt ignem se vertere in auras
aëris, hinc imbrem gigni terramque creari
ex imbri retroque a terra cuncta reverti,
e. q. s.

[38]) Passow, qui hunc locum cum alio quodam (Orph. Arg. 510, h. 7, 2. 77, 3) comparat, dicit: Bei spätern Dichtern, denen die lateinischen folgten, heisst so der Sonnengott selbst; Zeller, I, p. 523 ann.: Τιτὰν, der Ausgebreitete, ist hier wol nicht Bezeichnung der Sonne, sondern Beiname des Aether.

potius Heracliti doctrinam videtur respicere, de qua jam supra disputavimus. Nam Empedocles docuit, ex permixtis inter se primordiis primum aerem, deinde ignem, tum terram, denique aquam segregata esse.[39]) Ad hunc autem versus spectant, qui post locum supra (p. 30) citatum leguntur:

(I, 742): primum quod motus exempto rebus inani
constituunt et res mollis rarasque relinquont,
aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges,
nec tamen admiscent in eorum corpus inane.

Empedocles enim quum omnia ita gigni dissolvique putaret, ut generationem nihil aliud quam certam quandam elementorum permixtionem, mortem vero mixtarum rerum dissolutionem esse diceret (fragm. v. 98 sqq. 70 sqq. Mull.- Arist. metaph. I. 3. 984; de gener et corr. II, 6, init.), quidquam prorsus interire negavit; praeterea autem nihil dixit interire posse, quia nihil sit inane, in quod mutetur. Immo quidquid fiat, semper aliam in aliam rem mutari. Haec quidem ipsius philophi verba traduntur:

οὐδέ τι τοῦ παντὸς κενεὸν πέλει οὐδὲ περισσόν.
τοῦτο δ' ἐπαυξήσειε τὸ πᾶν τί κε καὶ πόθεν ἐλθόν;
πῆ δέ κε καὶ ἀπολοίατ'; ἐπεὶ τῶνδ' οὐδὲν ἔρημον.
ἀλλ' αὔτ' ἔστιν ταῦτα· δι' αλλήλων δὲ θέοντα
γίγνεται ἄλλοθεν ἄλλα διηνεκὲς, αἰὲν ὁμοῖα.

(fragm. v. 91. ed. Stein)[40]). Atque Aristoteles de coelo IV, 2. 309: ἔνιοι μὲν οὖν, inquit, τῶν μὴ φασκόντων εἶναι κενὸν οὐδὲν διώρισαν περὶ κούφου καὶ βαρέος οἷον Ἀναξαγόρας καὶ Ἐμπεδοκλῆς.

Deinde Lucretius contra Empedoclis doctrinam sic pergit dicere:

(I, 746): . . . „finem non esse secandis
„Corporibus faciunt, neque pausam stare fragori,
Nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam.

Quum enim ipse Epicureus putaret,

. . . „id extremum cujusque
„esse quod ad sensus nostros minimum esse videtur;

[39]) Plut. plac. phil. II, 6, 4: Ἐμπ. . . . τὸν μὲν αἰθέρα πρῶτον διακριθῆναι δεύτερον δὲ τὸ πῦρ, ἐφ' ᾧ τὴν γῆν, ἐξ ἧς ἄγαν περισφιγγομένης τῇ ῥύμῃ τῆς περιφορᾶς ἀναβλύσαι τὸ ὕδωρ, ἐξ οὗ θυμιαθῆναι τὸν ἀέρα. καὶ γενέσθαι τὸν μὲν οὐρανὸν ἐκ τοῦ αἰθέρος, τὸν δὲ ἥλιον ἐκ τοῦ πυρὸς, πληθῆναι δ' ἐκ τῶν ἄλλων τὰ περίγεια. — Plut. ap. Euseb. praep. I, 8, 10. — Zeller, I, p. 531 sqq.

[40]) Reliqua praeclare dicta v. ap. Zellerum p. 504 ann. 2.

conjicere ut possis ex hoc, quae cernere non quis,
extremum quod habent, minimum consistere prorsum;

Empedocles docuit neque atomos esse, e quibus quattuor illa elementa constarent, neque corpora in infinitum dividi posse. Sane Plutarchus scribit: (plac. phil. I, 13:) Ἐμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεσσάρων στοιχείων θραύσματα ἐλάχιστα οἱονεὶ στοιχεῖα πρὸ στοιχείων, ὁμοιομερῆ, ὅπερ ἐστὶ στρογγύλα (cf. etiam plac. phil. I, 17): sed in errore eum versari optime ostendit Zellerus (p. 511 sqq. cum annot.), qui ex Aristotelis quibusdam scriptis, quid de Empedoclis sententia dicendum sit, accuratissime explicavit. Nobis vero, ut videamus Lucretium veram Empedoclis sententiam attulisse, satis est, haec tantum verba commemorare: Ἐμπεδοκλεῖ δὲ τὰ μὲν ἄλλα φανερὸν, ὅτι μέχρι τῶν στοιχείων ἔχει τὴν γένεσιν καὶ τὴν φθορὰν, αὐτῶν δὲ τούτων πῶς γίνεται καὶ φθείρεται τὸ σωρευόμενον μέγεθος οὔτε δῆλον οὔτε ἐνδέχεται λέγειν αὐτῷ μὴ λέγοντι καὶ τοῦ πυρὸς εἶναι στοιχεῖον, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· (Arist. de gen. et corr. I, 8. 325, b, 19. — v. etiam de coelo III, 6, 305, a.)

Tum vero Lucretius dicens:

(I, 753): . . . „primordia rerum
„Mollia constituunt"

(sc. Empedocles et qui hunc secuti sunt) breviter sed nimis obscure id significat, quod Empedocles de primorum corporum natura censuit. Is enim quum primordiorum qualitatem mutari posse prorsus negaret, omnia tantum ex varia eorum permixtione proficisci voluit. Quem ad finem primordiis minima quaedam intervalla interjecit itaque putavit, primordia illa ita tantum inter se misceri, ut alius corporis particulae in intervalla ea intrent, quae sint inter particulas corporis alius.[41]) — Sed neque particulae illae atomi sunt neque intervalla id, quod Epicurei inane vocabant (v. loc. ante cit.) Quae quum ita sint, non ita male dicit Lucretius, Empedoclem primordia mollia statuisse, nempe ut corporum particulae facilius meliusque permisceantur.

[41]) Aristot. de coelo III, 7. — gen. et corrupt. I, 8. — Brevissime ap. Platonem (Meno 76, C.) Οὐκοῦν λέγετε ἀποῤῥοάς τινας τῶν ὄντων κατ' Ἐμπεδοκλέα; — Σφόδρα γε. — καὶ πόρους, εἰς οὓς καὶ δι' ὧν αἱ ἀποῤῥοαὶ πορεύονται; — Πάνυ γε. — καὶ τῶν ἀποῤῥοῶν τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι; — Ἔστι ταῦτα. — Ceterum v. Zeller. p. 513 sqq.

Denique versibus:

(I, 770): sin ita forte putas ignis terraeque coire
corpus et aërias auras roremque liquoris,
nil in concilio naturam ut mutet eorum —

poeta id dicit, quod Empedoclem docuisse cum Aristoteles confirmat tum Galenus. Hic quidem in Hippocr. de natura hom. I, 2 (Schl. T. XV, 32 Kühn) ait: „'Εμπ. ἐξ ἀμεταβλήτων τῶν τεττάρων στοιχείων ἡγεῖτο γίγνεσθαι τὴν τῶν συνθέτων σωμάτων φύσιν, οὕτως ἀναμεμιγμένων ἀλλήλοις τῶν πρώτων, ὡς εἴτις λειώσας ἀκριβῶς καὶ χνοώδη ποιήσας ἰὸν καὶ χαλκίτιν καὶ καδμείαν καὶ μισὺ μίξειεν ὡς μηδὲν ἐξ αὐτῶν δύνασθαι μεταχειρίσασθαι χωρὶς ἑτέρου. Aristoteles autem (gen. et corr. II, 7. 334): ἐκείνοις γὰρ τοῖς λέγουσιν ὥσπερ 'Εμπεδοκλῆς τίς ἔσται τρόπος (τῆς γενέσεως τῶν σωμάτων); ἀνάγκη γὰρ σύνθεσιν εἶναι καθάπερ ἐκ πλίνθων καὶ λίθων τοῖχος. καὶ τὸ μῖγμα δὲ τοῦτο ἐκ σωζομένων μὲν ἔσται τῶν στοιχείων, κατὰ μικρὰ δὲ παρ' ἄλληλα συγκειμένων.

His omnibus Empedoclis praeceptis confutatis Lucretius, ut Anaxagorae Clazomenii doctrinam oppugnet:

(I, 830): Nunc, (ait) ut Anaxagorae scrutemur homoeomerian
quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas,
sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis,
principio, rerum quom dicit homoeomerian,
ossa videlicet e pauxillis atque minutis
ossibus hic et de pauxillis atque minutis
visceribus viscus gigni . . .
— — — — — —
ex aurique putat micis consistere posse
aurum e, q. s.

(I, 843): Nec tamen esse ulla idem ex parte in rebus inane
concedit, neque corporibus finem esse secandis.
quare in utraque mihi pariter ratione videtur
errare atque illi, supra quos diximus ante.

In quibus dogmatis considerandis Lucretius eandem, qua étiam alii auctores usi sunt, rationem ita adhibet, ut vel eorundum exemplorum auxilio res declaret. Nam Aristoteles de gen. et corrupt. I, 1, 314: ὁ μὲν — inquit — (Ἀναξ.) τὰ ὁμοιομερῆ στοιχεῖα τίθησιν οἷον ὀστοῦν καὶ σάρκα καὶ τῶν ἄλλων ὧν ἑκάστου συνώνυμον (sc. τῷ ὅλῳ) τὸ μέρος ἐστίν; de coelo III, 3, 302: 'Αναξαγόρας . . . λέγει περὶ τῶν στοιχείων . . . τὰ γὰρ

conjicere ut possis ex hoc, quae cernere non quis,
extremum quod habent, minimum consistere prorsum; Empedocles docuit neque atomos esse, e quibus quattuor illa elementa constarent, neque corpora in infinitum dividi posse. Sane Plutarchus scribit: (plac. phil. I, 13:) Ἐμπεδοκλῆς πρὸ τῶν τεσσάρων στοιχείων θραύσματα ἐλάχιστα οἱονεὶ στοιχεῖα πρὸ στοιχείων, ὁμοιομερῆ, ὅπερ ἐστὶ στρογγύλα (cf. etiam plac. phil. I, 17): sed in errore eum versari optime ostendit Zellerus (p. 511 sqq. cum annot.), qui ex Aristotelis quibusdam scriptis, quid de Empedoclis sententia dicendum sit, accuratissime explicavit. Nobis vero, ut videamus Lucretium veram Empedoclis sententiam attulisse, satis est, haec tantum verba commemorare: Ἐμπεδοκλεῖ δὲ τὰ μὲν ἄλλα φανερὸν, ὅτι μέχρι τῶν στοιχείων ἔχει τὴν γένεσιν καὶ τὴν φθορὰν, αὐτῶν δὲ τούτων πῶς γίνεται καὶ φθείρεται τὸ σωρευόμενον μέγεθος οὔτε δῆλον οὔτε ἐνδέχεται λέγειν αὐτῷ μὴ λέγοντι καὶ τοῦ πυρὸς εἶναι στοιχεῖον, ὁμοίως δὲ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων· (Arist. de gen. et corr. I, 8. 325, b, 19. — v. etiam de coelo III, 6, 305, a.)

Tum vero Lucretius dicens:

(I, 753): . . . „primordia rerum
„Mollia constituunt"

(sc. Empedocles et qui hunc secuti sunt) breviter sed nimis obscure id significat, quod Empedocles de primorum corporum natura censuit. Is enim quum primordiorum qualitatem mutari posse prorsus negaret, omnia tantum ex varia eorum permixtione proficisci voluit. Quem ad finem primordiis minima quaedam intervalla interjecit itaque putavit, primordia illa ita tantum inter se misceri, ut alius corporis particulae in intervalla ea intrent, quae sint inter particulas corporis alius.[41]) — Sed neque particulae illae atomi sunt neque intervalla id, quod Epicurei inane vocabant (v. loc. ante cit.) Quae quum ita sint, non ita male dicit Lucretius, Empedoclem primordia mollia statuisse, nempe ut corporum particulae facilius meliusque permisceantur.

[41]) Aristot. de coelo III, 7. — gen. et corrupt. I, 8. — Brevissime ap. Platonem (Méno 76, C.) Οὐκοῦν λέγετε ἀποῤῥοάς τινας τῶν ὄντων κατ' Ἐμπεδοκλέα; — Σφόδρα γε. — καὶ πόρους, εἰς οὓς καὶ δι' ὧν αἱ ἀποῤῥοαὶ πορεύονται; — Πάνυ γε. — καὶ τῶν ἀποῤῥοῶν τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι; — Ἔστι ταῦτα. — Ceterum v. Zeller. p. 513 sqq.

Denique versibus:

(I, 770): sin ita forte putas ignis terraeque coire
corpus et aërias auras roremque liquoris,
nil in concilio naturam ut mutet eorum —

poeta id dicit, quod Empedoclem docuisse cum Aristoteles confirmat tum Galenus. Hic quidem in Hippocr. de natura hom. I, 2 (Schl. T. XV, 32 Kühn) ait: „Ἐμπ. ἐξ ἀμεταβλήτων τῶν τεττάρων στοιχείων ἡγεῖτο γίγνεσθαι τὴν τῶν συνθέτων σωμάτων φύσιν, οὕτως ἀναμεμιγμένων ἀλλήλοις τῶν πρώτων, ὡς εἴτις λειώσας ἀκριβῶς καὶ χνοώδη ποιήσας ἰὸν καὶ χαλκίτιν καὶ καδμείαν καὶ μισὺ μίξειεν ὡς μηδὲν ἐξ αὐτῶν δύνασθαι μεταχειρίσασθαι χωρὶς ἑτέρου. Aristoteles autem (gen. et corr. II, 7. 334): ἐκείνοις γὰρ τοῖς λέγουσιν ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς τίς ἔσται τρόπος (τῆς γενέσεως τῶν σωμάτων); ἀνάγκη γὰρ σύνθεσιν εἶναι καθάπερ ἐκ πλίνθων καὶ λίθων τοῖχος. .καὶ τὸ μῖγμα δὲ τοῦτο ἐκ σωζομένων μὲν ἔσται τῶν στοιχείων, κατὰ μικρὰ δὲ παρ' ἄλληλα συγκειμένων.

His omnibus Empedoclis praeceptis confutatis Lucretius, ut Anaxagorae Clazomenii doctrinam oppugnet:

(I, 830): Nunc, (ait) ut Anaxagorae scrutemur homoeomerian
quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas,
sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis,
principio, rerum quom dicit homoeomerian,
ossa videlicet e pauxillis atque minutis
ossibus hic et de pauxillis atque minutis
visceribus viscus gigni . . .

— — — — — —

ex aurique putat micis consistere posse
aurum e, q. s.

(I, 843): Nec tamen esse ulla idem ex parte in rebus inane
concedit, neque corporibus finem esse secandis.
quare in utraque mihi pariter ratione videtur
errare atque illi, supra quos diximus ante.

In quibus dogmatis considerandis Lucretius eandem, qua etiam alii auctores usi sunt, rationem ita adhibet, ut vel eorundum exemplorum auxilio res declaret. Nam Aristoteles de gen. et. corrupt. I, 1, 314: ὁ μὲν — inquit — (Ἀναξ.) τὰ ὁμοιομερῆ στοιχεῖα τίθησιν οἷον ὀστοῦν καὶ σάρκα καὶ τῶν ἄλλων ὧν ἑκάστου συνώνυμον (sc. τῷ ὅλῳ) τὸ μέρος ἐστίν; de coelo III, 3, 302: Ἀναξαγόρας . . . λέγει περὶ τῶν στοιχείων . . . τὰ γὰρ

ὁμοιομερῆ στοιχεῖα — λέγω δ' οἷον σάρκα καὶ ὀστοῦν καὶ τῶν τοιούτων ἕκαστον — ἀέρα δὲ καὶ πῦρ μῖγμα τούτων καὶ τῶν ἄλλων σπερμάτων πάντων· εἶναι γὰρ ἑκάτερον ἐξ ἀοράτων ὁμοιομερῶν πάντων ἠθροισμένων; Diogenes Laertius II, 8: 'Αν. ἔλεγε ἀρχὰς τὰς ὁμοιομερείας· καθάπερ γὰρ ἐκ τῶν ψηγμάτων λέγομεν τὸν χρυσὸν συνεστάναι, οὕτως ἐκ τῶν ὁμοιομερῶν σωμάτων τὸ πᾶν συγκεκρίσθαι.[42]) Principia igitur rerum Anaxagoras innumerabiles et admodum parvas particulas esse dixit. Hae sunt homoeomeriae quas Aristoteles, Lucretius aliique appellant.[43]) Sed Aristoteles singulas particulas „τὰ ὁμοιμερῆ" (sc. μέρη) nominat, Lucretius primus particularum summam „τὴν ὁμοιομέρειαν,[44]) plerique posteri singulas particulas „τὰς ὁμοιομερείας" (Plut. Per. c. 4: νοῦν ... ἀποκρίνοντα τὰς ὁμοιομερείας; S. E. Pyrrh. III, 33; math. X, 25. 2: οἱ γὰρ ἀτόμους εἰπόντες ἢ ὁμοιομερείας ἢ ὄγκους. Diog. Laert. II, 8: ἀρχὰς δὲ τὰς ὁμοιομερείας); ipse vero Anaxagoras particulas illas rerum semina, σπέρματα, vel nimis obscure „res, χρήματα" vocat. (fragm. 1. 3. 6. Mullach.)[45]) Itaque erat Plutarchus, quum (de plac. phil. I, 3, 8) dicit: 'Αναξαγόρας ἀρχὰς τὰς ὁμοιομερείας ἀποφήνατο ... ἀπὸ τοῦ οὖν ὅμοια τὰ μέρη εἶναι ἐν τῇ τροφῇ τοῖς γεννωμένοις „ὁμοιομερίας αὐτὰς" ἐκάλεσε. Neque vero Cicero recte dicit, σπέρματα illa esse „particulas similes inter se" (acad. qu. IV, 37); immo haec fuit Anaxagorae sententia: ἡ σύμμιξις πάντων χρημάτων ... καὶ σπερμάτων ἀπείρων πλῆθος οὐδὲν ἐοικότων ἀλλήλοις· οὐδὲ γὰρ τῶν ἄλλων οὐδὲν ἔοικε τῷ ἑτέρῳ τὸ ἕτερον· (frg. 6—8. 13), id quod Augustinus (civit. dei VIII, 2) non inepte sic explicat: „de particulis inter se dissimilibus, corpora dissimilia. Ceterum semina illa ab Epicureorum atomis ita differunt, ut hae quidem individuae sint, illa vero in infinitum dividi possint. Nam rectissime Lucretius, quum dicit, Anaxagoram „corporibus finem esse secandis" negasse (I, 844) idem memorat, quod ipse Anaxagoras his verbis dicitur expressisse: οὔτε γὰρ τοῦ σμικροῦ γέ ἐστι τό γε ἐλάχιστον, ἀλλ' ἔλασσον ἀεί· τὸ γὰρ ἐὸν οὐκ ἔστι τὸ μὴ (v. Zeller p. 679

[42]) Etiam Alexand. Aphrodis. de mixt. 141, b; 147, b. — Simplic. in Arist. phys. 6, b.

[43]) v. Zeller p. 670 sqq. c. ann. — Ueberweg I, p. 62.

[44]) Hanc autem vocem poeta concedit se propter sermonis egestatem non posse Latine reddere. (I, 831 sqq.)!

[45]) vide Breier, Philos. des Anaxagoras u. s. w. 1—54. Berl. 1840.

ann.) οὐκ εἶναι κ. τ. λ. (fragm. 15 Mull.), sive: τοὐλάχιστον μὴ ἔστιν εἶναι (fragm. 12. Schaubach) sive: ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν, ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα κ. τ. λ. (frgm. 1.)

Praeterea Anaxagoras ne inane quidem, quod dicitur, rebus inesse putat. Ut enim Lucretius „nec tamen esse ulla Idem ex parte in rebus inane concedit" (I,843), sic Aristoteles ait: (phys. IV, 6, 213) οἱ μὲν οὖν δεικνύναι πειρώμενοι ὅτι οὐκ ἔστιν (κενὸν), οὐχ ὃ βούλονται λέγειν οἱ ἄνθρωποι κενόν, τοῦτ' ἐξελέγχουσιν, ἀλλ' ἁμαρτάνοντες λέγουσιν, ὥςπερ Ἀναξαγόρας κ. τ. λ.[46])

Denique Lucretius, postquam dogmata illa refutare conatus est, addit:

(I,875): Linquitur hic quaedam latitandi copia tenvis,
id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnis
res putet inmixtas rebus latitare, sed illud
apparere unum, cuius sint plurima mixta
et magis in promptu primaque in fronte locata.

Hanc revera Anaxagorae esse sententiam, satis superque ab Aristotele confirmatur; sed hoc loco satis erit, tantum pauca quaedam documenta afferre, quae in fragmentis a Schaubachio collectis inveniuntur. Est enim in fragm. 3: τουτέων δὲ οὕτως ἐχόντων χρὴ δοκέειν ἐνεῖναι πολλά τε καὶ παντοῖα ἐν πᾶσι τοῖς συγκρινομένοις καὶ σπέρματα πάντων χρημάτων καὶ καὶ ἰδέας παντοίας ἔχοντα καὶ χροιὰς καὶ ἡδονάς;[47]) in fragm. 5 et 7: ἐν παντὶ παντὸς μοῖρα ἔνεστι, in fragm. 15: ἐν παντὶ δεῖ νομίζειν ὑπάρχειν πάντα χρήματα, in fragm. 12: ἐν παντὶ πάντα οὐδὲ χωρὶς ἔστιν εἶναι. ἀλλὰ πάντα παντὸς μοῖραν μετέχει.[48]) Putat igitur Anaxagoras, alia ex aliis non posse proficisci nisi jam inde ab initio infuerit, neque alia in alia vel diversissima transire posse, nisi omnia in omnibus.[49]) Immo vero etiamsi in aliqua re sola haec vel illa qualitas inesse

[46]) cf. de coelo IV, 2, 309: ἔνιοι μὲν τῶν μὴ φασκόντων εἶναι κενὸν οὐδὲν διώρισαν περὶ κούφου καὶ βαρέος οἷον Ἀναξαγόρας καὶ Ἐμπεδοκλῆς. — v. Zeller p. 515 ann. 2, p. 678 sqq.

[47]) De hoc fragm. v. Zeller p. 674, ann. 2.

[48]) cf. etiam fragm. 8, 11, 1.

[49]) v. Aristoteles phys. III, 4, 203: ὁ μὲν (Ἀναξ.) ὁτιοῦν τῶν μορίων εἶναι μίγμα ὁμοίως τῷ παντὶ διὰ τὸ ὁρᾷν ὁτιοῦν ἐξ ὁτουοῦν γιγνόμενον· ἐντεῦθεν γὰρ ἔοικε καὶ ὁμοῦ πάντα χρήματα φάναι εἶναι κ. τ. λ.

videatur, hoc tantum idcirco nobis videri, quod illius materiae, ex qua rem nominemus, plus insit quam materiae cujusvis alius,[50]) — Idem enim quod Lucretius (I, 875) versibus: „sed illud Apparere unum, cujus sint plurima mixta Et magis in promptu primaque in fronte locata“ Aristoteles his verbis explicat: φαίνεσθαι δὲ διαφέροντα καὶ προσαγορεύεσθαι ἕτερα ἀλλήλων ἐκ τοῦ μάλισθ' ὑπερέχοντος διὰ πλῆθος ἐν τῇ μίξει τῶν ἀπείρων· εἰλικρινῶς μὲν γὰρ ὅλον λευκὸν ἢ μέλαν ἢ γλυκὺ ἢ σάρκα ἢ ὀστοῦν οὐκ εἶναι, ὅτου δὲ πλεῖστον ἕκαστον ἔχει, τοῦτο δοκεῖν εἶναι τὴν φύσιν τοῦ πράγματος (phys. I, 4, 187.) Praeterea in fragm. 8 (Schaub.) legimus: ἀλλ' ὅτεο πλεῖστα ἔνι, ταῦτα ἐνδηλότατα ἓν ἕκαστόν ἐστι καὶ ἦν et apud Alexandrum Aphrodis. (in Aristot. metaph. I. 9, 991. p. 72 ed. Bonitz): Ἀναξαγόρας τε γὰρ ἕκαστον τῶν ὄντων ἔλεγε μὲν ἐκ πάντων μεμῖχθαι τῶν ὁμοιομερῶν. οὗ δὲ πλεῖστον ἐν αὐτῷ μέμικται, ἐξ αὐτοῦ τούτου δοκεῖν εἶναι τὴν οὐσίαν τοῦ πράγματος· ὥστε ἕκαστον αὐτῶν ἦν τοῦτο ὃ ἦν τῷ μεμῖχθαι αὐτῷ τινα ἄλλα

Jam vero restat, ut de Stoicorum quibusdam naturalibus quaestionibus, quas Lucretius, commemorat disputemus.

Ac primum quidem Lucretius ait;

(I,1052) Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
in medium summae quod dicunt omnia niti,
atque ideo mundi naturam stare sine ullis
ictibus externis neque, quoquam posse resolvi
summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa.

Sane ipse poeta, quis illud docuerit, non memorat, sed ex Plutarchi de Stoicorum repugnantiis libro (44, 6 f. p. 1054) novimus Chrysippum docuisse: οὕτω δὲ τοῦ ὅλου τεινομένου εἰς ταὐτὸ καὶ κινουμένου καὶ τῶν μορίων ταύτην τὴν κίνησιν ἐχόντων ἐκ τῆς τοῦ σώματος φύσεως, πιθανὸν, πᾶσι τοῖς σώμασιν εἶναι τὴν πρώτην κατὰ φύσιν κίνησιν πρὸς τὸ τοῦ κόσμου μέσον κ. τ. λ. Atque Achilles Tatius (isag. 132. A) affirmat, Stoicos contendere, mundum semper in inani spatio consistere, „ἐπεὶ πάντα αὐτοῦ τὰ μέρη ἐπὶ τὸ μέσον νένευκε. Immo vero etiam putabant Stoici, terram in medio mundo sitam ad universi caeli complexum quasi puncti instar obtinere: quod κέντρον vocabant;[51])

[50]) v. Zeller p. 676 sq.

[51]) Diog. Laert. II, 155: (Ζήνων)· μέσην τὴν γῆν κέντρου λόγον ἐπέχουσαν. — cf. Heraclit. allegor. Homer. c. 36.

circum terram vero aquam, deinde aerem diffundi;[52]) denique haec omnia propter gravitatem tanquam nucleum mundi esse aethere circumclusi. (l. c. et Stobaeus ecl. I, 408.)

Sed „non omnia — ut recte dicit Lucretius I, 1080 sqq. — corpora fingunt

„in medium niti, sed terrarum atque liquoris,
et quasi terreno quae corpore contineantur,
umorem ponti magnasque e montibus undas,
at contra tenuis exponunt aëris auras
et calidus simul a medio differrier ignis,
atque ideo totum circum tremere aethera signis
et solis flammam per caeli caerula pasci
c. q. s.

Docuerunt enim Stoici, aquam terramque, quum graviora sint, medium mundum petere, ignem et aerem, quum leviora, a medio recedere;[53]) ἀνωτάτω vero εἶναι τὸ πῦρ ὃ δὴ αἰθέρα καλεῖσθαι, ἐν ᾧ πρώτην τὴν τῶν ἀπλανῶν σφαῖραν γεννᾶσθαι, εἶτα τὴν τῶν πλανομένων· μεθ' ἣν τὸν ἀέρα, εἶτα τὸ ὕδωρ, ὑποστάθμην δὲ πάντων τὴν γῆν, μέσην ἁπάντων οὖσαν. (D. L. VII, 137). Coelum igitur i. e. aethera igneum[54]) non solum omnia circumcludere (cf. Lucret. I, 1095: supra circum tegere omnia coelum) sed etiam simul cum sole, luna, reliquis astris vaporibus terrae maris, aquarum ali atque sustentari. (Lucr. supra; Cicero nat. deor. III, 14, 37; II, 15, 40. 118. Seneca qu. n. VI, 16, 2.[55])

Deinde Lucretius, cum dicit:

(V, 114): . . . ne forte rearis,
terras et solem et caelum, mare sidera lunam,
corpore divino debere aeterna manere

[52]) Stobaeus eclog. I, 446: τοῦ δὲ . . . κόσμου τὸ μὲν εἶναι περιφερόμενον περὶ τὸ μέσον, τὸ δ' ὑπομένον, περιφερόμενον μὲν τὸν αἰθέρα, ὑπομένον δὲ τὴν γῆν καὶ τὰ ἐπ' αὐτῆς ὑγρὰ καὶ τὸν ἀέρα. — Cic. de nat. deor. II, 6, 17: terram esse infimam, quam crassimus circumfundat aer.

[53]) Stob. ecl. I, 346. 406 (Plut. plac. I, 12, 4): Ζήνων· ἀβαρῆ εἶναι ἀέρα καὶ πῦρ; Plut. Stoic. repugn. 43 p. 1053: Χρύσιππος· τὸ πῦρ . . . ἀβαρὲς . . . καὶ ἀνωφερὲς, καὶ τούτῳ παραπλησίως τὸν ἀέρα, τοῦ μὲν ὕδατος τῇ γῇ μᾶλλον προςνενομένου, τοῦ δ' ἀέρος τῷ πυρί.

[54]) Seneca nat. qu. VI, 16, 2: totum hoc coelum, quod igneus aether, mundi summa pars claudit. —

[55]) Heraclit. alleg. Hom. c. 36, c. 56. — Plut. Stoic. rep. 41, 3: οἱ δ' ἀστέρες ἐκ θαλάσσης μετὰ τοῦ ἡλίου ἀνάπτονται. ibid. 2. — ibid. 46, 2.

ea videtur respicere, quae Stoici de divina anima toti mundo et partibus ejus inserta docuerunt. Nam Cleanthes dixit „ipsum mundum deum esse“ (Cic. nat. d. I, 14), Chrysippus „ipsum mundum deum esse et ejus animi fusionem universam“ (ib. 15) sive „κόσμον . . . ζῷον καὶ λογικὸν καὶ ἔμψυχον καὶ νοερὸν εἶναι (D. L. VII, 142), Chrysippus et Posidonius „θεὸν εἶναι ζῷον ἀθάνατον λογικὸν τέλειον ἢ νοερὸν ἐν εὐδαιμονίᾳ κ. τ. λ. εἶναι δὲ τὸν μὲν δημιουργὸν τῶν ὅλων καὶ ὥσπερ πατέρα πάντων κοινῶς τε καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ τὸ διῆκον διὰ πάντων. (D. L. VII, 147); Manilius sectae Stoica addictus (in lib. I):

Hoc opus immensi constructum corpore mundi
membraque naturae diversa condita forma
aeris atque ignis, terrae pelagique jacentis
vis animae divina regit sacroque meatu
conspirat Deus et tacita ratione gubernat“
et: „Qua pateat mundum divino numine verti
atque ipsum esse deum.“

Sed longum est, plures auctores commemorare[56]). Etiam singulis quibusque sideribus mentem divinam inesse Stoici ex ipsa eorum corporea natura cognoscebant[57]); terram vero idcirco putabant divino animo praeditam, quod ex ipsa non solum plantae animentur sed etiam sidera coelestia alantur[58]).

Haec omnia, quum Epicuri doctrinae prorsus contraria sint, Lucretius et subtiliter et acriter ita refellit, ut his versibus concludat:

. . . . „non est, cum quovis corpore ut esse
posse animi natura putetur consiliumque“
— — — — — — —
Haut igitur constant divino praedita sensu,
quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata“
(V, 126 sq. 144 sq.) (sc. glebae terrarum, sol, aqua, aether alia. —).

[56]) v Cic. n. deor. II, 30, 75 sqq.; II, 37, 119; II, 22, 58; III, 9, 22; 10, 25. — ceterum cf. Zeller III, pars I, p. 122 sqq. — Senec. ep. 97. — Didymus ap. Euseb. XV, de praep. evangelica: οἱ Στωικοὶ δ' ὅλον τὸν κόσμον σὺν τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ προσαγορεύουσι θεόν.

[57]) Stob. I, 66. 446. 518. 532 sqq. — Plut. Stoic. rep. 39, 1, 41. — Philodem. περὶ εὐσεβ. col. 3. — Cicero, nat. d. I, 14; II, 15; acad. IV, 37.

[58]) Cic. nat. d. II, 9. — fusius diligentiusque Senec. qu. nat. VI, 16.

Tum vero dicit:

(V, 146): Illud item non est ut possis credere, sedes
esse deum sanctas in mundi partibus ullis.

Qui versus, quum statim post eos legantur, quibus in alia praecepta Stoicorum poeta invehitur, et ipsi ad Stoicos videntur spectare. Illi enim, quamquam universum mundum deum esse arbitrabantur, in quo necesse esset perfectam illam atque absolutam inesse rationem, tamen in omnibus rebus a reliquis partibus partem quandam principem distinguebant, in qua tanquam prima summaque sede perfecta illa absolutaque ratio habitaret, et unde omnes vires efficientes emanarent[59]). Quam principem dei sedem Zeno, Chrysippus aliique Stoici putabant in aethere i. e. in coelo esse[60]), Cleanthes in sole[61]), Archedemus in terra i. e. in mundo medio[62]). — Denique in libri primi eo loco, quo de „medio summae" disputat, ad quod Stoicorum sententiâ omnia tendant, (I, 1052 sqq.) Lucretius dicere pergit, eosdem philosophos etiam docere, (I, 1058):

„. . . quae pondera sint sub terris omnia sursum
„nitier in terraque retro requiescere posta,
et „ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus,
„adsimili ratione animalia suppa vagari
„. . . . ., neque posse e terris in loca caeli
„reccidere inferiora magis quam corpora nostra
„sponte sua possint in caeli templa volare,
„illi cum videant solem, nos sidera noctis

59) Cic. de nat. deor. II, 13. — II, 11, 29: omnem enim naturam necesse est, quae non solitaria sit, neque simplex, sed cum alio juncta atque connexa, habere aliquem in se principatum ut in homine mentem . . . . itaque necesse est, illud etiam, in quo sit totius naturae principatus esse omnium optimum. — Sext. Emp. mathem. IX, 102: ἀπὸ ἡγεμονικοῦ καὶ πᾶσαι αἱ ἐπὶ τὰ μέρη τοῦ ὅλου ἐξαποστελλόμεναι δυνάμεις ὡς ἀπό τινος πηγῆς τοῦ ἡγεμονικοῦ ἐξαποστέλλονται κ. τ. λ.

60) Cic. acad. II, 41, 126. — nat. deor. I, 14, 36. — Diog. Laert. VII, 138. 139: (τὸν οὐρανόν φασι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου).

61) Cic. acad. II, 14, 126: Cleanthes . . . . solem dominari et rerum potiri. Diog. Laert. VII, 139: Κλεάνθης δὲ (τὸ ἡγεμονικόν φησι) τὸν ἥλιον.

62) Stobaeus ecl. I, 452: Ἀρχέδημος τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου ἐν γῇ ὑπάρχειν ἀπεφήνατο.

„cernere et alternis nobiscum tempora caeli
„dividere et noctes parilis agitare diebus.“

Quae omnia, quum ita plane et perspicue a Lucretio explicata sint, ut nihil addendum videatur, cum narrationibus quibusdam Ciceronis comparasse satis erit. Is enim primum in Tusculanarum disput. lib. I, cap. 28 . . . . „videmus, inquit, ... globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco, duabus oris distantibus habitabilem et cultum, quarum altera, quam nos incolimus „Sub áxe posita ad stéllas septem, unde hórrifer | Aquilónis stridor gélidas molitúr nives, altera australis, ignota nobis, quam vocant Graeci ἀντίχθονα.“ Deinde in acad. quaest. II, c. 39: „Nonne etiam dicitis, esse e regione nobis, e contraria parte terrae, qui adversis vestigiis stent contra nostra vestigia, quos antipodas vocatis?“ Tum in somnio Scipionis (c. 6) Africanum sic facit loquentem: „hos qui incolunt terram non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim aversos, partim etiam adversos stare vobis“ . . . paulloque infra „duo sunt habitabiles (terrae cinguli), quorum australis ille, in quo qui insistunt, adversa vobis urgent vestigia.“ — Itaque apparet, Lucretium et Ciceronem ita consentire inter se, ut uterque confirmet, a philosophis quibusdam (i. e. a Stoicis) huic nostrae terrae parti partem alteram sc. australem oppositam esse et nobis ipsis ἀντίχθονας quosdam sive ἀντίποδας. Sed Lucretius in his rebus considerandis accuratiorem se praestitit.

Haec fere sunt, quae de naturalibus aliorum philosophorum excepto Epicuro quaestionibus a Lucretio commemoratis dicenda nobis videbantur. Nunc eadem ratione de anima et de immortalitate disputabimus.

Ac primum quidem, ubi de proposito suo loquitur, Lucretius ait:

(I, 112): Ignoratur enim quae sit natura animai,
nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
et simul intereat nobiscum morte dirempta,
an tenebras Orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
detulit ex Helicone perenni fronde coronam ct.

Animam natam esse unaque cum corpore interire ipsi

Epicurei putabant, ad inferos vero eam transire vulgi erat opinio. Contra Ennius, poeta ille clarissimus sed philosophus tenuis,[63]) secundum Pythagorae dogma voluit, animam corpori extrinsecus insinuari. Nam etiam in annalium frgm. v. 10 sq. (ed. Vahlen) ille:

„Ova parire solet genus pinnis condecoratum
non animam: et post inde venit divinitus pullis
ipsa anima."

Sed ut hoc ita fiat, necesse est non solum jam antea sed semper adesse i. e. immortalem esse animam. Atque confirmavit Ennius in annalium suorum principio, ubi se dicit vidisse in somnis Homerum, hujus animam quondam in pavone fuisse postea vero in se ipsum translatam.[64])
Itaque non infacete Persius in satir. VI, v. 9:

„Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
„Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo."

Ceterum quod ad somnia illa Enniana pertinet, apud Lucretium quoque legimus, Ennium credidisse:

„esse Acherusia templa[65])
— — — —
Unde sibi exortam semper florentis Homeri
Commemorat speciem lacrimas effundere salsas
coepisse et rerum naturam expandere dictis"

(I, 121.) De eadem re Cicero (acad. qu. II, 16, 51): „Eadem ratio est somniorum: num censes Ennium, cum in hortis cum Ser. Galba vicino suo ambulavisset, dixisse, visus sum mihi cum Galba ambulare? At, cum somniavit, ita narravit:

Visus Homerus adesse poeta;

idemque in Epicharmo:

Nam videbar somniare me et ego esse mortuum[66]) — et in somnio Scipionis c. 1: „fit enim fere, ut cogitationes sermonesque nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo videlicet saepissime vigilans solebat cogitare et loqui."

[63]) Brandis, Gesch. d. Entwickl. d. griech. Ph. II, p. 247.

[64]) Porphyr. in Horat. ep. II, 150: Ennius in principio annalium suorum somnio se scripsit admonitum, quod secundum Pythagorae dogma anima Homeri in corpus suum venisset. — Scholiast. ad Persii sat. VI, 9.

[65]) De his „templis" in parte mythologica locutus sum.

[66]) cf. Cic. acad. II, 27. 88.

Jam vero cum versibus 112 sqq. (libri I) hi comparandi videntur, qui in tertio libro leguntur:
(III, 670 sq.):

„Praeterea si inmortalis natura animai
constat et in corpus nascentibus insinuatur,
cur super ante anctam aetatem neminisse nequimus?

v. 679 sqq.:

Praeterea si iam perfecto corpore nobis
inferri solitast animi vivata potestas
tum cum gignimur et vitae cum limen inimus
c. q. s.

v. 748 sq.:

quodsi inmortalis foret (vis animi) et mutare soleret
corpora, permixtîs animantes moribus essent
e. q. s.

v. 754 sq.:

illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
immortalem animam mutato corpore flecti.

denique versus 776 sqq.:

„Denique conubia ad Veneris partusque ferarum
esse animas presto deridiculum esse videtur,
expectare immortalis mortalia membra
innumero numero, certareque praepoperanter
inter se quae prima potissimaque insinuetur.

Primum quidem Cicero in Tuscul. disp. lib. I, cap. XVI, par. 38: „quod litteris constat, inquit, Pherecydes Syrius primum dixit animos esse hominum sempiternos . . .

Hanc opinionem discipulus ejus Pythagoras maxime confirmavit . . “ et cap. XVII, par. 39: „Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse;“ Plutarchus in plac. phil. lib. IV, c. 7: „Πυθαγόρας, Πλάτων ἄφθαρτον εἶναι τὴν φυχὴν· ἐξιοῦσαν γὰρ εἰς τὴν τοῦ παντὸς ψυχὴν ἀναχωρεῖν πρὸς τὸ ὁμογενές, Alexander Polyhistor ap. Diog. VIII, 25: (Πυθ.) ἀθάνατόν τ' εἶναι αὐτὴν (τὴν ψυχὴν), ἐπειδήπερ καὶ τὸ ἀφ' οὗ ἀπέσπασται ἀθάνατόν ἐστι.“ Nonne igitur Lucretius, postquam prioribus versibus Ennii opiniones exposuit, versibus modo citatis communiter et Pythagorae, quem imprimis ille sequitur, et Platonis doctrinam videtur

intueri? Sane quae Pythagoras de hominis anima ex anima mundi exorta dixisse fertur non ita magna fide digna sunt,[67]) sed hoc quidem inter omnes constat, eum docuisse post hominis mortem animam, prout bonam malamve se praestitisset, aut in coelum (κόσμον) aut in tartara aut in hominum aliorum bestiarumve corpora transire[68]): ergo nunquam prorsus interire.[69])

Quam opinionem postea Plato ita excoluit, ut diceret, rerum principio in unaquaque stella fixa animam aliquam a mente divina collocatam esse. Deinde vero animas vel in terram vel in stellas errantes[70]) missas esse, ut primum omnes in corpora virilia migrarent, unde post hominum mortem, si corporis voluptates et libidines superassent, in sedes suas aeternas reverterentur, sin autem a recta vivendi ratione abscessissent, in corpora muliebria, denique, si nihilominus vitiis flagitiisque se dedidissent, in bestiarum corpora transirent. Hinc vero animas nisi sordida illa infimaque natura prorsus abjecta in principalem suum statum non posse restitui.[71]) Haec cum ita sint, apparet, animam non solum non occumbere mortem, sed ita semper vivere ut suo tempore in corpus aliquod nascens extrinsecus possit insinuari.[72]) Atque hanc sententiam, quam in libro I etiam Ennio attribuit, Lucretius in libro III (v. supr.) pluribus verbis ita oppugnat, ut quodammodo petulanter nec infacete concludat: „Denique conubia ad Veneris partusque ferarum | Esse animas presto deridiculum esse videtur | Expectare immortalis mortalia membra Innumero numero, certareque praeproperanter Inter se quae prima potissimaque insinuetur.“ — Nam ista quidem ratione animas in corpora insinuari neque Pythagoras neque Plato docuit.

Restat, ut de „rerum ante actarum retinentia“[73]) quam vocat Lucretius (III, 670 sqq.) dicamus. Ille quidem l. c.:

[67]) Zeller I, p. 322. 326.

[68]) Alexand. ap. Diog. VIII, 31. — v. Zeller I, p. 328 sqq.

[69]) Sed vid. Zeller I, p. 330 sq.

[70]) Plato, Timaeus p. 41. D. sqq.

[71]) Plato, Tim. 90, E. sqq.

[72]) Plat. Phaed. 105. 106. — 102.

[73]) De hac voce in priore commentationis nostrae parte locuti sumus.

„Praeterea, inquit, si inmortalis natura animai constat et in corpus nascentibus insinuatur, cur super ante actam aetatem meminisse nequimus e. q. s.?“ At meminit ante actae vitae anima, si sequimur Platonem. Is enim nihil disci posse existimat, nisi ea, quae tantum videantur ignota, jam pridem nobis nota fuerint ita ut discere nihil aliud sit quam memoria repetere ea, quae anima aliquando scivisset sed longiore tempore interjecto oblita sit.[74]) Notumque est, Platonem quaesivisse, qui tandem fieret, ut interrogando cum aliae tum mathematicae notiones ex homine litteris nondum erudito dici possent, nisi jam antea in illius anima fuissent. Haec vero hactenus! Nunc ad alios versus Lucretianos transeamus.

Sua quidem ipsius ratione de animi animaeque natura disputaturus poeta libri III initio dicit, jam multos homines ante ipsum eandem rem similiter voluisse explicare; sed

„magis omnia laudis
„Jactari causa quam quod res ipsa probetur.“

Saepe enim homines affirmare,

(III, v. 43) „ . . se scire animae naturam sanguinis esse
(v. 46) „aut etiam venti.“

Quarum altero opinio, quanquam pervagata erat antiquissimis temporibus, tamen maxime Empedocli probanda videbatur, qui ipse dixit:

„αἵματος ἐν πελάγεσσι τεθραμμένη ἀντιθορόντος,
„τῇ τε νόημα μάλιστα κυκλίσκεται ἀνθρώποισιν·
„αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.
(fragm. v. 374. Vahlen.)

Atque Cicero „Empedocles, inquit, animum esse censet cordi suffusum sanguinem,“ (Tuscul. disp. I, 9, 19.)

Theophrastus vero, postquam ea exposuit, quae Empedocles de sensibus docuisset: διὸ καὶ τῷ αἵματι μάλιστα φρονεῖν· ἐν τούτῳ γὰρ μάλιστα κεκρᾶσθαί ἐστι τὰ στοιχεῖα τῶν μερῶν. (de sensu par. 10.)

Alteri deinde opinioni sc. „animae naturam esse venti“ assentiebantur Stoici. Nam apud Diogenem Laertium (VII, 156 sq.) Zeno, Antipater, Posidonius dicunt, τὴν ψυχὴν εἶναι

[74]) Phaedr. 249 B., Meno 80 D., Phaedo 72, E. — Tim. 41, E.

τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα (πνεῦμα σύμφυτον)[75]; sed hoc πνεῦμα est ἔνθερμον (ibid.) sive calidus vel potius ardentius quam aer terrae proximus, qui dicitur crassus atque concretus (Cic. Tuscul. I, 18, 42): ita ut interdum omnino ignis appelletur (Cic. Tuscul. I, 9, 19; nat. deor. III, 14, 136.)[76]) Ceterum is animus simili modo per corpus penetrat idque coercet ac mundi anima ipsum mundum continet[77]): de qua re Stoici valde dissentiunt ab Epicureis, qui animam a corpore contineri volunt.

Tum vero Lucretius ait:

(III, 370): Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
Corporis atque animi primordia singula privis
Adposita, alternis variare ac nectere membra."

Democritus quidem animum individuorum corporum levium et rutundorum efficit concursione quadam fortuita, quam tamen concalefactam et spirabilem, id est animalem esse vult (Cic. Tuscul. I, 11, 22; 18, 42) Diog. Laert. IX, 44. Plut. plac. phil. IV, 3, 4.)

Quae corpuscula animalia non solum ita per totum corpus diffundit, ut omnes hujus partes vim caloremque vitalem accipiant,[78]) sed inter duas quasque atomos corporeas collocat atomum animalem (Lucr. l. c.) Nihilominus vero negat, animi particularum motus in omnibus corporis partibus pares esse; immo singulas animi facultates in suis quasque

[75]) Idem Chrysipp. ap. Galen., Hippocr. et Plat. III, 1. tom. V, 287. — Senec. ep. 50, 6: quid est aliud animus quam quodammodo se habens spiritus? Vides autem tanto spiritum esse faciliorem omni alia materia, quanto tenuior est.

[76]) Alexand. Aphrod. de anim. 127. 6: οἱ ἀπὸ τῆς στοᾶς πνεῦμα αὐτὴν λέγοντες εἶναι συγκείμενόν πως ἔκ τε πυρὸς καὶ ἀέρος.

[77]) Galen. l. c.: συνεχὲς (τὸ πνεῦμα) παντὶ τῷ σώματι διῆκον. Sext. Empir. math. IX, 72. — Posidonius ap. Achill. Tat. isag. c. 13. p. 133. — Senec. ep. 57, 8: animo, qui adhuc tenuior est igne, per omne corpus fuga est.

[78]) Aristot. de an. I, 3. 406: ἔνιοι δὲ καὶ κινεῖν φασι τὴν ψυχὴν τὸ σῶμα ἐν ᾧ ἐστιν ὡς αὐτὴ κινεῖται, οἷον Δημόκριτος . . . κινουμένας γάρ φησι τὰς ἀδιαιρέτους σφαίρας διὰ τὸ πεφυκέναι μηδέποτε μένειν συνεφέλκειν καὶ κινεῖν τὸ σῶμα πᾶν. — ib. c. 5: (εἴπερ) γάρ ἐστιν ἡ ψυχὴ ἐν παντὶ τῷ αἰσθανομένῳ σώματι.

corporis partibus ita contendit esse positas, ut cogitatio sit in cerebro, ira in corde, libido in hepate.[79])

Quibus rebus explicatis restat, ut de anima cum sensibus conjuncta loquamur. Lucretius enim ubi demonstrat „ea quae sentire videamus ex insensilibus tamen omnia constare principiis" (II, 865), pergit dicere:

(II, 902): Deinde ea, seminibus qui sensile posse creari
cunstituunt porro ex aliis sentire suetis,
mollia jam faciunt. e. q. s.

Qui versus, si minus ad Platonem, qui omnibus rebus, quae vivant atque vigeant, animum id est vim vitalem sensumque a mente divina tributum esse censuit, at certe ad Anaxagoram videntur referendi. Is enim, quum dicit: ἐν παντὶ παντὸς μοῖρα ἔνεστι πλὴν νόου· ἔστι οἷσι δὲ καὶ νόος ἔνι"— (fragm. 5. Mull.) et (ὅσα τε ψυχὴν ἔχει καὶ τὰ μείζω καὶ τὰ ἐλάσσω πάντων νόος ἐκράτησε κ. τ. λ. (fragm. 6) nihil aliud sibi vult, quam ut in omnibus rebus vita praeditis animum sensumque inesse putemus. Nam animus quidem sine sensu profecto non potest cogitari. Atque quum animum, qui idem sit quod anima,[80]) Anaxagoras confirmet vim esse motum efficientem i. e. in omnibus rebus inesse quae se ipsae moveant,[81]) sequitur ut ejusmodi res jam inde ab initio etiam sensu praeditas statuerit.[82])

Deinde Lucretius, ut alias quoque opiniones refellat, in libro III (v. 350 sqq.) ait:

„si quis corpus sentire refutat,
Atque animam credit permixtam corpore toto
Suscipere hunc motum quem sensum nominitamus:
Vel manifestas res contra verasque repugnat.

— — — — — —

[79]) Democr. περὶ ἀνθρώπου φύσεως, fragm. 6: cerebrum vocatur, φύλαξ διανοίης, frgm. 15 cor βασιλὶς ὀργῆς τιθηνός, frgm. 17 hepar ἐπιθυμίης αἴτιον.

[80]) Aristot. de an. I, 2, 683; 405: Ἀναξ. δ' ἔοικε μὲν ἕτερον λέγειν ψυχήν τε καὶ νοῦν, ὥσπερ εἴπομεν καὶ πρότερον, χρῆται δ' ἀμφοῖν ὡς μιᾷ φύσει.

[81]) ibid. 404: ὁμοίως δὲ καὶ Ἀναξ. ψυχὴν εἶναι λέγει τὴν κινοῦσαν, καὶ εἴ τις ἄλλος εἴρηκεν ὡς τὸ πᾶν ἐκίνησε νοῦς.

[82]) v. Zeller I, p. 695—97.

Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
Sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
Desiperest e. q. s.

Ac primum quidem Pythagoram scimus docuisse, animam cognoscereatque sentire; sed id tamdiu tantum posse fieri, quamdiu anima in corpore commoretur. Nam in corpore illam tanquam in carcere conclusam[83]) hoc ipso ita opus habere, ut ipse quidem facultatem sentiendi possideat, corpus vero auxilium sit adjumentumque externum hujus facultatis adhibendae.[84]) Atque eandem vim Epicharmi habet illud: νοῦς ὁρᾷ καὶ νοῦς ἀκούει, τἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά.[85])

Deinde Plato et ipse Pythagoram sequens, quanquam animam immortalem sine corpore et fuisse et semper exstare credit,[86]) tamen singulas ejus partes in suis quasque partibus corporis ita collocet, ut corporis demum opera possint sentire.[87])

Has vero opiniones optime excoluit Aristoteles, qui: Anima, iuquit, et corpus et sunt idem et non sunt; ratione quidem et natura inter se differunt, vitâ vero angustissime conjuncta sunt[88]). Nam neque auimâ et corpore conjunctis vita neque animantibus quibusdam et corporeis rebus conglutinatis animal efficitur; sed ipsa anima vis est motus efficiens, corpus autem tanquam instrumentum, quo motus illos et efficit et prae se fert anima. Itaque sicuti vis videndi non ab oculo, ita anima non potest a corpore sejungi. (cf. Arist. metaph. VIII, 6, 1045. — de anim. II, 1, 413: ὡς δ' ἡ ὄψις καὶ ἡ δύμαμις τοῦ ὀργάνου ἡ ψυχή (sc. ἐντελέχειά ἐστιν)· τὸ δὲ σῶμα τὸ δυνάμει ὄν· ἀλλ' ὥσπερ ὁ ὀφθαλμὸς ἡ κόρη καὶ ἡ ὄψις, κἀκεῖ ἡ ψυχὴ καὶ τὸ σῶμα τὸ ζῷον). — Quibus dictis si Lucrelianos versus supra allatos comparamus apparet, hos quidem maxime cum Pythagoreorum atque Aristotelis de anima doctrina consentire.

[83]) Böckh, Philolaus 181 et Philol. ap. Platon. Phaed. 62, B.

[84]) Böckh, Philol. 177: diligitur corpus ab anima, quia sine eo non potest uti sensibus: a quo postquam morte deducta est agit in mundo incorporalem vitam.

[85]) Epich. fragm. v. 253 ed. Mullach.

[86]) Zeller II, b, p. 536—544. — Plat. Phaedo 79 A.

[87]) v. Zeller l. c. 548 sqq.

[88]) Aristot. de an. II, 1. 412.

Sed transeamus ad harmoniam[89]), qua quidam animi effici voluerunt. Lucretius enim dicit: (III, 98):

[Quamvis multa quidem sapientum turba putarunt]
Sensum animi certa non esse in parte locatum,
Verum habitum quendam vitalem corporis esse,
Harmoniam Grai quam dicunt, quod faciat nos
Vivere cum sensu, nulla cum in parte siet mens:
— — — — — — —
Magnopere in quo mi diversi errare videntur.

In qua re explicanda non tam Lucretius quam Aristoteles auctoris nomen omittit afferre; nam Aristoteles quoque haec tantum narrat: ἁρμονίαν τινα (τὴν ψυχήν τινες) λέγουσι· καὶ γὰρ τὴν ἁρμονίαν κρᾶσιν καὶ σύνθεσιν ἐναντίων εἶναι, καὶ τὸ σῶμα συγκεῖσθαι ἐξ ἐναντίων (de anim. I, 4), et: πολλοί φασι τῶν σοφῶν οἱ μὲν ἁρμονίαν εἶναι τὴν ψυχὴν οἱ δ' ἔχειν ἁρμονίαν. (polit. VIII, 5); apud Platonem autem Simmias, Philolai discipulus, dicit, τὴν ψυχὴν εἶναι, ὥςπερ ἐντεταμένου τοῦ σώματος ἡμῶν καὶ συνεχομένου ὑπὸ θερμοῦ καὶ ψυχροῦ καὶ ξηροῦ καὶ ὑγροῦ, τοιούτων τινῶν κρᾶσιν εἶναι καὶ ἁρμονίαν αὐτῶν τούτων καὶ ψυχὴν ἡμῶν, ἐπειδὰν ταῦτα καλῶς καὶ μετρίως κραθῇ πρὸς ἄλληλα; eandemque sententiam Macrobius (in somn. Scip. I, 14) ipsi Philolao et Pythagorae ascribit, quum dicit: „Plato dixit animum essentiam se moventem, Xenocrates numerum se moventem, Aristoteles ἐντελέχειαν, Pythagoras et Philolaus harmoniam." Sed vera Pythagorae sententia haec tantum potest fuisse[90]), quam Claudius Mamertus quidam (in Boeckhii Philol. p. 177) affert: „animam inditam esse corpori per numerum et immortalem eandemque incorporalem convenientiam." — Postea eandem sententiam cum multi alii Pythagorae et Aristotelis discipuli acceperunt, tum Aristoxenus, qui musicus idemque philosophus apud Ciceronem (Tuscul. I, 10, 20) animum esse dicit ipsius corporis intentionem quandam: velut in cantu et in fidibus, quae harmonia vocetur, sic ex corporis totius natura et figura varios motus cieri tanquam in cantu sonos. — Itaque tum demum censet sentiri posse, quum singularum corporis, partium firma conjunctio

[89]) Hac Graeca voce, quae in antiquioribus Lucretiani carminis exemplaribus (veluti Wackefieldii) etiam litteris Graecis expressa est, ter utitur Lucretius (III, 101. 118. 131).

[90]) v. Zeller I, p. 321—323. — p. 257.

membrorumque omnium consentiens in unum vigor motum illum sentiendi excitet. Ceterum sicut in fidibus, cum aliquid aut interruptum aut relaxatum sit, omnis sonandi ratio turbetur atque solvatur, ita in corpore, cum pars aliqua membrorum corrumpatur, destrui omnia: turbatis vero corruptisque omnibus occidere sensum eamque mortem vocari[91]).

Jam vero restat, ut de sciendi ratione quaedam dicamus. Quum enim sensus Lucretius nullo modo refelli posse demonstret[92]), eos studet convincere, qui sensuum perceptionibus veras esse hac ratione negant, ut omnino nihil sciri posse contendant. Itaque sic loquitur: (IV, 469):

Denique nil sciri si quis putat, id quoque nescit
An sciri possit, quoniam nil scire fatetur.

Inter cujus sententiae patronos ac defensores imprimis nominandus est Pyrrho, qui Aristocle auctore[93]) dicit, μήτε τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν μήτε τὰς δόξας ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι, ea quidem, quae nobis scire videamur, tantum more et consuetudine recepta esse: οὐδὲν γὰρ ... οὔτε καλὸν οὔτε αἰσχρὸν οὔτε δίκαιον οὔτε ἄδικον, καὶ ὁμοίως ἐπὶ πάντων, μηδὲν εἶναι τῇ ἀληθείᾳ, νόμῳ δὲ καὶ ἔθει πάντα τοὺς ἀνθρώπους πράττειν οὐ γὰρ μᾶλλον τόδε ἢ τόδε εἶναι ἕκαστον[94]).

Eademque fere omnes academici recentiores dixerunt, e quorum numero satis est Arcesilam hujus sectae auctorem commemorare. Apud Ciceronem enim haec legimus: (acad. qu. I, 12, 45) „Arcesilas negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset“[95]) et: (de orat. III, 18, 67): Arcesilas .... ex variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit[96]).

[91]) Lactant. opif. D. c. 16. — instit. VII, 13.

[92]) Lucr. IV, 478: Invenies primis ab sensibus esse creatam
Notitiem veri, neque sensus posse refelli.

[93]) ap. Euseb. praep. evang. XIV, 18, 2.

[94]) Diog. L. IX, 61. — cf. Gell. XI, 5, 4; Sext. Emp. XI, 140.

[95]) Socrates putabat, non sciri posse quidquam nisi cognita et notione et definitione rerum v. Zeller. II, a. p. 77 sqq. — p. 84 sqq.

[96]) cf. acad. qu. II, 23, 73: Metrodorus Chius ... nego, inquit, scire nos, sciamusne aliquid an nihil sciamus, ne id ipsum quidem nescire aut scire nos, nec omnino sitne aliquid, an nihil sit. — de nat. deor. I, 5, 11: haec in philosophia ratio contra omnia disserendi nullamque rem aperte judicandi profecta a Socrate, repetita ab Arcesila, confirmata a Carneade. — v Zeller III, p. 449 sqq.

VITA.

Franciscus Otto Siemering Regimonti a. d. III. Cal. Sextil. anni MDCCCXLIII natus sum patre Friderico Guilielmo, ornamentorum scenicorum pictore, quem jam XIII ante annos praematura morte ereptum valde lugeo, matre Augusta e gente Feyer, quam adhuc vivam veneror. Fidei addictus sum reformatae.

Litterarum initiis imbutus in puerorum ludo, cui adhuc praeest vir humanissimus Korn, exeunte anno h. s. LIV in quintam classem scholae Loebenichtianae receptus sum, quae etiamnunc floret sub directore doctissimo Schmidt. Deinde quarta classe absoluta mense Aprili a. LVI a directore illustrissimo Ellendt in quartam gymnasii Palaeopolitani classem receptus sum. Septem annis post cum maturitatis testimonio dimissus studiis philologicis in academia Albertina operam dare institui. Itaque mense Aprili a. LXIII a prof. ill. Sanio tum prorectore magnifico civis factus, a decano maxime spectabili ill. Nesselmann in album philosophorum inscriptus sum.

Docuerunt me per quattuor annos et dimidium prof. ill. Lehrs: synt. Graec., antiquit. Graec., hist. litter. Graec., Encyclop. philol., doctrin. metric., interpret. epist. et satir. Horat., Pind. carm., Sophocl. Antig., Pers. satir., Cicer. orat. in Verr., Aristoph. av., Thucyd., Hesiod. op. et dies. scut. Herc.; — prof. ill. Friedlaender: antiquit. Roman., mythol. Graec., introduct. in studia monumentor. s. elementa epigraph. numismat. archaeologiae artium, exercit. epigraph., exercit. archaeolog., interpret. statuar. gypso confect. quae in museo nostro conservantur, topograph. Romae, interpret. grammatic. veter., interpret. Iuvenal. satir., Catull. carm., Plaut. Trinumm., Tacit. annal., Propert. carm., Cic. de fin., Martial., Quintil., Apulej. Psychen. et Cupidin. quaest. Hom., hist. litt. Rom. — prof. ill. Rosenkranz: poeticen, histor. philos recentior., logicen et metaphys., psychologiam; — prof. ill. Nitzsch introduct. in histor. Roman. — prof. ill. Schade interpret. monum. Goth. et Theot., Walther. de Vogelweide, metric. Theotisc., histor. poes. Theotisc. — Quibus viris neque minus illis, qui antea litteras me docuerunt, omnibus optime de me meritis almam Albertinam relicturus gratias ago quam maximas gratiamque semper habebo. —
